



, 666. 227tr. Contenta hujus Volumenis

1. Quæstiones in Genesim D. Chemnitij.
2. Annotata Antigrotiana in [Esaian 53. Jerem: Thren: Ezech: Dan: D. Calotij:  
Prov: & Eccles: Michaam]
3. De virtutis altissimi obumbratione D. Gerhardi. Luc. 1.
4. De visione diei Xii ab Abraham Ioh: 8. D. Gerh:
5. De bonorum operum necessitate D. Chemn:
6. Dissertatio Synodalis Historico: Englca Theologica M: Emmerl.
7. Friedens Lufß Sigrifan W. gauthi Indning, wie es wunderfolt  
man frindt in der Drapffg. Manuf. zugeltw M. Mch. Emmerl.
8. Laudes Panegyricali novi Auguſfei M. Siffridius.
9. Invitatio Facult: Theol: Lips: ad Actum pro Lic:
10. Disputatio pro Licentia de Imputacē M. Rappoldij: Prof: Poëf:
11. Unicam Jesu Christi Ereğm Gal. 1, 6.
12. De Peccato in Sprm Sand: M. Siffridius.
13. De iterata collatione Remissionis peccatoru M. Sibremckij
14. Epitome Confessiois Catholicae
15. De causis Iustificaciois nrā coram Deo.
16. De Passionis Christi memoria Rihschij.
17. De decreto divino circa passionem.
18. De Sponsalibus.
19. De Permissione divina circa peccata.
20. De Termino Vitæ humanae.
21. De Angelologia Apostolica M. Olearij.
22. De Cypodiæ Angelorum. D. Gerh:



23  
#

# EPITOME CONFESSiONiS CATHOLiCÆ,

*in quā ea,  
Quæ in Tomis Confessionis Catholicæ*

JOHANNE GERHARDOb.m.

uberius sunt exposita, in Compendium redacta

*operā ac studiō*

JOHANNIS ERNESTI GER-

HARDI, SS. Theol. D. & Prof. Publ.

*Eodem Præside*

Lib. II. Part. II. Art. IX.

DE PURGATORIO.

*Publico θεολογικῶν Examini*

*submitit*

M. JOHANNES REICHENBACHiUS,

Heckstad. Saxo-Mansfeldicus.

*Ad diem 28. Febr.*

*in Auditorio Theologico  
horis promeridianis.*

---


J E N Æ,

Typis SENGENVALDIANiS.

ANNO M. DC. LXII.

18







V I R I S,

*Summe Reverendo, Nobilissimis atq; maxime  
strenuis,*

DN. JOHANNI BERNHARDO,

Ecclesiae Cathedralis Halberstadi-  
ensis Canonico longè di-  
gnissimo.

&  
DN. LUDOVICO,

Fratribus Germanis, Hæreditariis  
in Falkenstein & Neudorff &c.

Dominis Patronis atq; Promotoribus suis  
eternum observandis

Disputationem hanc  
In sui commendationem  
&

Studiorum suorum promotionem  
dare dicare dedicare  
ut i; voluit sic debuit  
submissè observantiss.

M. Johannes Reichenbachius, Heckstadiensis.





EPITOME  
CONFESSiONiS  
CATHOLiCÆ  
JOH. ERNESTI GERHARDI,  
SS. Theol. D. & Prof. P.  
ARTICULUS IX.  
DE PURGATORIO.

**H**ESIS. Purgatorium dari, non est fidei articulus.

**E**nītēis. 1. Status quæstionis hic est. Num animæ piorum post suum è corporibus discessum ob adhærentes peccati sordes & debitum luedax poenæ prius flammis cuiusdam ignis in loco subterraneo inferno, expurgandæ sint, antequam in regnum cœlorum assumantur? 2. Et an dogma hoc sit fidei reticulus, omnibus Christianis scitu ac creditu ad salutem necessarius? Pontificii utrumq; affirmant, nos utrumque negamus. 3. Purgatorii nomine Pontificii intelligunt tum purgationis medium, videlicet ignem illum, quo animas piorum à corporibus separatas ustulari arbitrantur; tum locum purgationis, quem inferno vicinum ac contiguum statuunt. Nos utrumq; negamus.

Anti-



Antithesis. Concil. Tridentin. in Decreto de Purgatorio primâ die sessionis nonæ & ultimæ sub Pio IV. Pontif. die 3. Decembris. Ann. 1563. publicato. Cum Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris literis & antiquâ Patrum traditione in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumena Synodo docuerit, purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique predicari diligentē studeant &c. Idem Concil. sesi. 6. Can. 30. Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum aeternæ pœna deleri dixerit, ne nullus remaneat reatus pœnae temporalis exolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regnum cœlorum aditus patere possit, anathema sit. Conf. Canisius in opere Catechetico loc. de pœnit. Sacram. q. 9. pag. 304. Bellarmin. lib. 1. de Purgatorio cap. 1. §. 3. & lib. ejusdem cap. 15. Qui tale purgatorium negat, in gehenna sempiterno incendio cruciandus erit. Add. Bartholomæus Fumus in aurea armilla pag. 692. Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis artic. 53.

Nostram sententiam probamus.

I. Purgatorium destituitur Scripturæ suffragio. Ergo non est articulus fidei.

II. Purgatorium insuper pugnat cum Scriptura, videlicet.  
 1. Cum illis Scripturæ dictis, quæ omnes omnino homines in duas duntaxat distinguuntur classes, credentes scilicet & incredulos, bonos & malos, oves & bedos. Matth. 7. v. 13. 14. 17. 18. 24. & 26. cap. 8. v. 11. & 12. c. 13. v. 24. 25. 38. & 48. c. 25. v. 32. 33. 34. 41. & 46. Marc. 16. v. 16. Luc. 16. v. 8. 22. 25. Joh. 3. v. 6. 18. 20. 21. 36. cap. 5. v. 29. c. 15. v. 2. Actor. 26. v. 18. Rom. 2. v. 6. 7. & 8. c. 6. v. 10. & 21. c. 8. v. 5. & 13. Gal. 6. v. 8. Purgatorium enim nititur hâc hypothesi, quod tria dentur hominum genera perfectè scilicet boni, perfectè mali, & intermedii, utriq; optimis scilicet ac pessimis. interjecti. Illis cœlum beatorum, istis infernum damnatorum, hisce purgatorium post mortem esse præparatum. 2. Cum illis dictis, quæ docent, solum huic vitæ tempus esse tempus laborandi, currendi, certandi, hoc est, resipisciendi, credendi, piè operandi,



& per consequens gratiam Dei, peccatorum remissionem, pœnarum relaxationem & vitam æternam assequendi; post mortem verò nullum amplius superesse tempus resipiscendi, credendi & benè operandi, hoc est, cœlestia illa beneficia acquirendi. Eccles. 9. v. 4.5. & 10. cap. 11. v. 3. c. 12. v. 5. Matth. 25. v. 10. Johan. 9. v. 4. 1. Corinth. 7. v. 29. c. 9. v. 24. Ephes. 5. v. 16. Gal. 6. v. 8. & 10. 2. Timoth. 4. v. 7. Hebr. 12. v. 1. Apoc. 2. v. 5. Si enim in hac duntaxat vita datur tempus resipiscendi, benè operandi, ac *ἐπομένως* peccatorum remissionem & pœnarum condonationem impetrandi, frustra in purgatorio culpæ venialis expiatio, & poenæ pro peccato mortali debitæ, inq; tempora-  
le mutatæ, persolutio & relaxatio speratur. 3. Cum illis di-  
ctis, quæ de purgatione peccatorum loquuntur. Scriptura du-  
plicis purgationis mentionem facit, una est *purgatio externa*  
& *Levitica*, facta ad emundationem carnis; altera verò *inter-  
na* & *spiritualis*, facta ad emundationem cordis. Illa tribuitur  
Ceremoniis Leviticis, Levit. 12. v. 8. cap. 13. v. 6. cap. 14. v. 9;  
hac verò tribuitur Christo, ut *causa efficienti*. Elai. 43. v. 25. Jo-  
han. 13. v. 8. Hebr. 1. v. 3. sanguini Christi, ut *cause meritoriae*  
Hebr. 9. v. 13. & 14. 1. Johan. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 6. c. 7. v. 14. ver-  
bo Evangelii & Sacramento Baptismi, ut *causa instrumentali*  
*ex parte Dei*, Malach. 3. v. 3. Ioh. 15. v. 3. Ephes. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5.  
ac fideli salvificæ, ut *causa instrumentali ex parte nostri Actor. 15.*  
v. 9. 1. Cor. 6. v. 11. Utraque purgatio tantum in hac vita locum  
habet, tertius alicujus purgationis post hanc vitam expectandæ  
nulla uspiam in tota Scriptura fit mentio. 4. Cum illis Scriptu-  
ra dictis, in quibus præcepta, promissa & exempla *euangelicas*  
proponuntur, quæ non tantum nullam futuri cuiusdam cru-  
ciatus tormenti formidinem piis in Christum credentibus  
incutient, sed etiā spei, fiducia & exultationis materiam ipsorum  
animis ingerunt. Iob. 19. vers. 25. Psal. 30. v. 6. Psal. 27. v. 13.  
Psal. 116. v. 7. & 9. Luc. 2. v. 19. Actor. 7. v. 59. 2. Corinth. 5. v. 1.  
2. & 8. Philip. 1. v. 23. 1. Thessal. 4. v. 13. 2. Timoth. 1. v. 12. cap.  
4. v. 6. 7. & 8. 1. Petr. 4. v. 19. Apoc. 2. v. 10. Quod si enim piis  
verè in Christum credentibus post mortem metuendæ essent  
purgatorii flammæ, ab inferni igne solâ duratione differentes,  
non



non possent ad lætam ēudavariorū divinitū animari, nec possent  
in pace, quiete, fiduciā ac desiderio cœlestis beatitudini dis-  
cedere. Consequens hoc repugnat præceptis, promissis & ex-  
emplis ēudavariorū in Scriptura propositis, ubi cum primis evi-  
dens est exemplum conversi latronis, cui Christus Luc. 23. v. 43.  
ejusmodi dat promissionem. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* 5. Cum  
illis Scripturæ dictis, quæ testantur, omnes verè in Christum  
credentes statim à morte felices ac beatos esse, ac animas ipso-  
rum quamprimum corporis nexu solvuntur, è vestigio & im-  
mediate in ipso solutionis momento sine ulla intercedente  
aut intervallo in Paradiſum transferri, ut testantur exempla  
*Henochi*, Genes. 5. v. 24. *Sirac.* 44. v. 16. cap. 49. v. 16. Hebr. 11. v.  
5. *Eliae* 2. Reg. 2. v. 11. *Lazarus* Luc. 16. v. 22. & 25. *Stephani Act.* 7.  
v. 59. *& omnium piorum Sap.* 3. v. 1. & 3. cap. 4. v. 1. Eccles. 12. v. 7.  
*Ezai.* 57. v. 2. *Iohanan.* 3. v. 18. & 36. cap. 5. 24. cap. 12. v. 16. c. 17. v.  
24. 2. *Corinth.* 5. v. 1. & 8. *Philip.* 1. v. 23. Hebr. 4. v. 3. Apoc. 7.  
v. 14. 15. 16. cap. 14. v. 13. *Hac alios dabo uero πόδις* animarum in cœlum translatio purgatorii somnio direcťe aduersa-  
tur. 6. Cum illis Scripturæ dictis, quæ duo duntaxat θυρο-  
zeia sive animarum post mortem receptacula enumerant,  
tertium verò locum intermedium prorsus ignorant. 1. Sa-  
muel. 25. vers. 29. Matth. 3. vers. 12. cap. 7. vers. 13. cap. 8. v. 11.  
cap. 25. vers. 46. Marc. 16. v. 16. Luc. 16. vers. 22. *Iohanan.* 3. v. 36.  
7. Cum illis Scripturæ dictis, quæ peccatorum remissionem  
gratiam Dei & salutem consequendam ad hanc vitam eo mo-  
do restringunt, ut ministerio verbi & Sacramentorum: Itemq;  
potestate clavis solventis, intercedente fide cujusque propri-  
etate in his terris beneficia illa obtainenda esse afferant, post mor-  
tem verò nullum tempus ea consequendi superesse innuant, Ps.  
39. v. 14. Ps. 95. v. 8. Matth. 9. v. 6. cap. 16. v. 19. cap. 18. v. 18. 2. Cor.  
6. v. 2. Quod si enim in hac duntaxat vita peccatorum remis-  
sio & salus per fidem ministerio verbi & Sacramentorum ac-  
cessam obtainetur vel amittitur, frustā quædam pro peccatis  
satisfactione in purgatorio statuitur. Huc referri possunt dicta  
quæ testantur, ea, quæ in hac vita egimus bonas in iudicium ad-  
duci, non autem quæ vel ipsi in purgatorio sumus passi, vel a-



iii pro nobis satisfactionis loco fecerunt Matth. 25. v. 35. 1. Cor. 3. v. 8. 2. Cor. 5. v. 10. Gal. 6. v. 5 & 7. Apocal. 14. v. 13. Item, quæ pœnas temporales non nisi hujus vitæ termino circumscribunt & quæ post mortem irrogantur, æternas fore docent 2. Cor. 4. v. 18. Apocal. 10. v. 7. &c. 8. cum illis dicitis, quæ negant, suffragiis vivorum mortuos post hanc vitam juvari posse Psalm. 49. vers. 8. 9. & 10. Eccles. 9. v. 4. Matth. 5. v. 26. cap. 25. v. 8. & 9. Marc. 3. v. 31. Quòd si enim mortui non possunt juvari suffragiis vivorum, frustra animabus in Purgatorio sudantibus spes venia & salutis à vivorum meritis expectandæ proponitur. 9. cum illis dicitis, quæ conditionem degentium in inferno, cuius finis aliquis est Purgatorium describunt, Psal. 6. v. 6. Ps. 49. v. 15 Eccl. 9. v. 11. Luc. 16. v. 26.

III. Purgatorium pugnat *cum fidei analogia*; quia labefactat. 1. articulum de Dei misericordia, quæ in Scripturis nobis sic describitur, quod sit sincera, seria & perfecta, ita ut per ac propter eam verè pœnitentibus remittatur non solum culpa, sed etiam pœna Matth. 18. v. 27. Quòd si enim Deus ex gratuita misericordia propter perfectam Christi satisfactionem peccatorum debita verè pœnitentibus & in Christum credentibus plenè ac perfectè remittit, utique nec satisfactionem ab illis exigit, nec pœnam quandam ipsis infligit. 2 articulum de Dei justitia, quæ non permittit, ut remissâ culpâ adhuc irrogetur pœna. Jam verò credentibus in Christum culpa perfectè remittitur. Ergò nihil pœna ipsis persolvendum restat. Item, si animæ in Purgatoriis pœnis tolerandis divinæ justitiae satisfactione possint, quidni damnati in igne infernali per multas annorum myriadas excarnificati tandem poterunt divinæ justitiae satisfacere & ex inferno liberari. 3 articulum de Christi merito, Christus sanctissimâ & perfectissimâ suâ obœdientiâ ac passione acerbissimâ non tantum pro originali, sed etiam pro actualibus peccatis nostris plenissimè satisfecit ac pœnas peccatorum nostrorum in se recipiendo, pro pœnis temporalibus & æternis propter peccata nobis debitam plenissimam satisfactionem Deo præstítit Esai. 53. v. 4. 5. 6. Johann. 1. v. 29. Gal. 3. v. 15. 1. Petr. 2. v. 24. &c. Pro quo igitur in Purgatorio nobis satisfac-



satisfaciendum? cur animæ piorum verâ fide Christi satisfac-  
tionem amplectentium in Purgatorium ablegantur? cur sa-  
tisfactio exigitur pro eo, quod Christus jam antè persolvit?  
4. articulum de Evangelio. Propria enim Evangelii doctrina  
est, offerre credentibus peccatorum gratuitam condonatio-  
nem, non autem pœnæ æternæ in temporariam commutatio-  
nem. At si Evangelium nostram satisfactionem vel satispas-  
sionem exigeret, ac commutationem tantum, non autem trans-  
lationem pœnæ factam esse doceret, non amplius foret annun-  
ciatio gratia & misericordia, sed potius pœnæ in hac vita vel  
in Purgatorio sustinendæ. 5. articulum de salutari fructu pœnitentie.  
Fructus veræ ac salutaris pœnitentiae est peccatorum re-  
missio Psal. 31. v. 5. Jerem. 36. v. 2. Sapient. 12. v. 19. Marc. 1. v.  
4. Luc. 24. v. 47. Actor. 3. v. 19. cap. 5. v. 31. Atqui ubi pecca-  
rum remissio, ibi non amplius est necessaria pro peccatorum  
pœnis satisfactionio, vel in hac vita, vel in Purgatorio præstanda.  
6. articulum de peccatorum remissione. Deus per filium suum re-  
conciliatus in justificatione eō modō peccata credentib. in-  
eum remittit, ut eorum non recordetur amplius Ps. 25. 7. Jerem. 31.  
v. 31. Ezech. 18. v. 22. ut projiciat ea post tergum Esai. 38. v. 17. de-  
merget in profundum mari Mich. 7. v. 19. deleat in stirpibus Esai.  
44. v. 22. non impunet, sed regat Psal. 32. v. 1. ut iam longè ea remor-  
veat, quam longe distat Oriens ab Occidente Psal. 103. v. 12. At  
si Dominus post remissionem peccata adhuc punit, utique ea-  
dem imputat, si pœnas pro illis adhuc exigit, utique ad cal-  
culos revocat; si vindicat, eorum recordatur; si examinat,  
post tergum non projectat; si ad judicium vocat, recta non ha-  
bet &c. Item, Deus condonat peccata ex merâ gratia. inde pec-  
catorum remissio, non persolutio appellatur. Atqui hæc gratui-  
ta peccatorum remissio cum satisfactione propria, vel in hac  
vita, vel in purgatorio præstanda nunquam conciliari poterit.  
Quod enim per propria merita & proprias satisfactiones ob-  
tinetur, illud non potest dici gratis dari & vice versa. 7. arti-  
culum de justificationis fructu & hominum justificatorum statu. Fru-  
ctus justificationis est pax conscientia Rom. 5. vers. 1. & 2. nihil  
damnationis est in iis, qui sunt in Christo Rom. 8. v. 1. sed illi pœ-  
næ  
salvi



salvi facti sunt v. 24. nec quisquam est, qui eos accuset vel condemnnet, veri 33. & 34. cùm certi sint de gratia & favore Dei v. 38. ac vitam aeternam habeant Iohann. 3. v. 36. quâ spe etiam gaudent Rom. 12. v. 12. cum fiducia ad thronum gratiae accedunt Hebr. 4. v. 16. Et Deo sine timore serviunt Luc 1. v. 74. unde in pace beatam ex hac vita ἀγάλωσιν & emigrationem ad Dominum expectant Luc. 2. v. 29. 2. Cor. 5. v. 8. At si fide justificati, nondum tamē plenè purgati, scirent, descendendum sibi esse in Purgatorium quendam ignem, cuius flammæ solâ duratione ab infernalibus distant, inque eo per multas annorum decades desudandum esse, quomodo in conscientia pacem haberent? quomodo nihil damnationis sibi metuendum esse statuerent? quomodo sine timore Deo servirent?

*8. articulum de extremo iudicio.* In extremo iudicio nullus ablegitur in ignem Purgatorium, sed pii evehentur in cœlum, impii detrudentur in infernum. Ergò nec hoc tempore est aliquis Purgatorius ignis, quia causæ justificationis & salutis, Dei sc. misericordia, Christi meritum, verbum Evangelii & vera in Christum fides sunt ejusdem & æqualis virtutis tam ante iudicium, quam in ipso iudicio; ac si justitiae divinae non repugnat, eos, quos dies novissimus vivos deprehendet, sine Purgatorii ignis interventu in Paradisum transferri, utique etiam eidem non adversabitur, eos, qui ante iudicium in DOMINO moriuntur, à Purgatorii flammis immunes ac liberos in cœlum emigrare.

Nostræ sententiaz suffragatur.

1. Quod quidam agnoscunt, Purgatorium non gaudere Scripturæ suffragio. (Iam verò nullum dogma potest vel debet pro fidei articulo haberi, nisi ex Scripturis possit probari, ut ex quorundam Pontificiorum confessione superius lib. I. part. I. cap. I. ostendimus.) Sane Rayhingius adhuc Pontificius in Enchir. Cathol. contra D. Höe pag. 970. negat, posse proferri aliquem ex Scriptoribus Pontificiis, qui confessus fuerit, Purgatorium substitui Scripturæ suffragio. Synodus Tridentina sess. 25. dicit: Ecclesiam ex sacris literis docere, quod sit Purgatorium. Sed præstò sunt confessiones aliquot Scriptorum Pontificiorum. Vid. Johann. Fischerus



rus Episcopus Roffensis contra Lutherum art. 18. & 37. Idem tamen Fischerus sibi contradicens art. 37. col. 718. scribit: *Non est credibile, Purgatorium non posse ex Scriptura sacra probari, cum sit ea res Christianis omnibus usque adeo scitu necessaria.* Petrus à Soto in assertione Catholica fol. 83. *Non est, cur mirari debeamus, (quod nec Prophetica nec Apostolica scripta aliquid certi & perspicui de Purgatorio tradiderint, ) cum certum sit, multa sine Scripturis esse tradita.* fol. 85. Nec eorum qui hoc (Purgatorium) negant, argumenta efficacia sunt, sumta ex eo maxime, quod in Scripturam nihil perspicue de eo traditur, cum jam constet, multa non scripta fuisse eorum, que credenda sunt, sed Ecclesiastica autoritas satis est. Idem in Instructione Sacerdotum lect. 1. de Purgat. præfatur, *minus apertas, minus efficaces esse & minus probare autoritates Scripturae, que à Doctoribus afferuntur, illis itaque non esse utendum ad probandum Purgatorium.* Ludovicus Nogarola in libello de Apostolicis institut. tradit. 32. & Martinus Peresius libr. de tradition. fol. 159. agnoscent, orationem pro defunctis non esse ex Scriptura, sed ex traditione. (Jam vero in oratione pro defunctis primum ac præcipuum fundamentum Purgatorii queritur, ut patet ex Becano lib. 1. Manual. cap. 8.) Conf. Tannerus in CompPEND. relatione Colloquii Ratisbon. part. 2. cap. 6. p. 37. Huc referri potest, primò, quod Suarez tom. 4. in p. 3. Disp. 45. sect. 1. agnoscit, *infirma esse, quæ pro astruendo Purgatorio ex Scripturis afferuntur.* (Atqui pro fundamentalibus fidei articulis astruendis non infirma, sed firma & evidenter ex Scripturis afferri debent argumenta.) Secundò quod Perionius in Topic. Theolog. unicum duntaxat locum. 2. Maccab. 12. pro Purgatorio stabiliendo extare, afferit, qui aperte doceat, preces & sacrificia prodefundis. Item quod Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 3. §. Ad septimum &c. concedit, omnia V. Test. loca, excepto uno. 2 Maccab. 12. solum probabiliter suadere, quod sit ejusmodi Purgatorium. Schoppius Bellarmini hyperaspistes in Apologetic. c. 55. fol. 77. sic scribit: *Notandum, Bellarminum multa Scripturarum loca adduxisse, ideo quod quidam (nota quidam tantum) ex sanctis Patribus ea de Purgatorio interpretati fuerunt, tametsi non nesciret, aliter etiam ea accipi posse & solere.*



solere. ( Atqui ostendimus superius lib. 2. art. 1. cap. 1. sect. 2. thesi 8. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, librum secundum Maccabaorum non esse in Canone. ) Tertio, quod Petrus à Soto in assert. Cathol. fol. 84. scribit: *Illi Scriptura dictis* ( quæ pro Purgatorio afferuntur ) *fatemur, non aperte Purgatorium probari, sed quod ex certa fidei regula credimus, id autoritatibus illis adver-*  
*timus indicari.* ( Atqui fundamentales fidei articuli non tantum in Scripturis indicantur, sed aperte proponuntur. ) Quartò, quod idem Petrus à Soto d. 1. fol. 83. scribit: *Quare non citatis locum, ubi contrarium docetur* ( videlicet non esse Purgatorium ) *sed tantum negativè argumentamini, quia nec Christus, nec Paulus dixit?* Clingius libr. 4. Loc. Theolog. cap. 50. pag. 456.  
*Nusquam legitur in Scripturis. Injusta & insalubris cogitatio est orare pro defunctis.* Ostendant hoc clare scriptum adversarii. Ergo sanctum & salubre est Deum pro defunctis orare. Jesuitæ in Colloquio Durlacensi Anno 1615. habendo, à nostris postularunt, ut à votore ac in terminis terminantibus offendarent, *Purgatorium non esse.* ( In dogmaticis non tantum affirmativè, *Hoc scriptum est, ergo credendum est;* sed etiam negativè, *Hoc non est scriptum, ergo non est credendum,* argumentari possumus, ut suo loco fuit demonstratum. Ergo non opus est, ut negativa nostra, quod non sit Purgatorium, in specie & nata fuit ex Scripturis probetur, sed sufficit generalis illa negatio, quod nullum Scripturæ dictum pro astrictuendo Purgatorio proferri possit. ) Quinto, quod Conradus Klingius libr. 4. Locor. Comm. cap. 50. p. 456. scribit: *Scriptura Catholicè* ( juxta mentem Romani Pontificis ) *intellecta virtualiter probat Purgatorium, et si hoc aperte non exprimat.* ( Observa tria 1. quod Scriptura aperte non probet Purgatorium. 2. sed tantum virtualiter. 3. & quidem tunc demum, *Catholicè* intelligitur, hoc est, *juxta mentem Ecclesie Catholicæ, in Tridentino Concilio declaratam,* ut exponit Bellarminus libr. 1. de Verbo Dei cap. . ac ut ultima analysis docet, *juxta mentem Romani Pontificis intellecta Sextù, quod Wilhelmus Lindanus libr. 4. Panopl. cap. 52. p. 314. Purgatorium appellat: em, quælibet quidius ex Patrum testimonio, quam ex Scripturarum sententiis, et si certis, non tamen omnibus adeo manifestis, queat definiri* ( Atqui articu-



DE PURGATORIO.

ticulos fidei ex claris & perspicuis Scripturæ dictis liquidissime oportet demonstrari.) Septimò, quod Jesuita Cottonius ex ipso Cacodæmone sciscitari non dubitarit, ecquo totius N. Test. loco Purgatorium commodissimè fulciri ac statuminari possit? referente Jacobo Augusto Thuano Histor. lib. 132. ad Annum 1604. Daniele Tilenus part. 2. Disp. 65. § 34. & Andrea Rive-  
to in refutat. Catechism. controv. Jesuitæ Bailii tract. 2. q. 43. quam inscribit Catholicum orthodoxum. (Atqui si claris ac perspicuis Scripturæ dictis Purgatorium probari posset, haud-  
quam opus foret, talia ex Cacodæmone querere.) Octavò, quod Franciscus Sonnius Demonstrat. tract. 4. cap. 3. interro-  
ganti discipulo, an loci ex Matth. 5. Luc. 12. 1. Cor. 3. (qui solent  
in dissertissimis numerari) reverâ demonstrant, esse locum & ig-  
nem, quibus probet & puniat Deus animas justorum post hanc vitam,  
respondet: per se quidem non demonstrant: non enim loquuntur cla-  
ro sermone de statu animarum post hanc vitam, & aliam apud non-  
nullos Patres recipiunt interpretationem. Nonò, quod nomen Pur-  
gatorii in sensu Pontificio acceptum in Scripturis inveniri non  
posse fatentur. Vid. Bellarmini Disputationem de Purgato-  
rio lib. 1. de Purg. cap. 1. §. 1. Quamvis verò quædam in Scri-  
pturis extent secundum rem, licet secundum literam & vocem in  
eis non habeantur, ac proinde à prætermissione nominis ad  
negationem rei non liceat absolutè & simpliciter concludere,  
tamen cum & nomen & res ipsa Purgatorii Pontificii à Scriptu-  
ris exulet, ut ex confessione quorundam Pontificiorum o-  
stendimus, ideo merito hanc nominis prætermissionem con-  
tra ipsos urgamus.) Denique, quod dicta Scripturæ, quæ à  
quibusdam Pontificiis pro stabiliendo Purgatorio afferuntur,  
ab aliis Pontificiis longè aliter applicantur, ut inferius ap-  
parebit.

2. Quod quidam agnoscent, Purgatorium destitui Ec-  
clesiæ primitivæ ac Græcæ Orientalis Ecclesiæ suffragio. (At-  
qui nullum est fidei dogma pro quo stabilendo non possint  
adduci quædam manifesta Ecclesiæ primitivæ testimonia, cum  
ex utraque parte & nostra & Pontificiorum concedatur, in  
primitiva Ecclesia traducem veritatis ab Apostolis propaga-



tæ fuisse adhuc conservatum. Græcæ Ecclesiæ consensum ideò producimus, tūm quia Græci nobiscum docent, nec in Scripturis nec in Primitivæ Ecclesiæ doctoribus Purgatorium inveniri, tūm quia ex eo manifestum est, Purgatorium non esse dogma à tota Ecclesia Christiana hodierna receptum, tūm quia ex eo colligi potest, Purgatorium olim non fuisse profidei articulo habitum. Adrianus I. Pontif. Rom. cum Græcis, qui Purgatorium non crediderunt, communionem habuit, & ad Synodus Nicenam II. Legatos misit, & in Decreto de colendis imaginibus eum ipsis consensit. At communionem illis haud dubiè denegasset, si Purgatorii dogma à Græcis non receptum profidei articulo habuisset.) Nili Archiepiscopi Thessalonicensis liber contra Purgatorium ex ipsa Pontificia Bibliotheca prodiit. In eo ostendit Nilus, *ignem hunc temporalem*, à V. Concilio condemnatum fuisse; quemadmodum adhuc hodie Ecclesiæ Graecæ, Russicae, Abyssinae & Armeniae Purgatorium rejiciunt. Idem Nilus docet, nullum Græcorum Patrum id credidisse. Et revera in Concilio VIII. Ferrarie ac Florentie habito Græcis nulli ex suis Doctoribus pro hoc igne objiciebantur. Postea demum aliqua veterum Græcorum testimonia, partim recente excoigitata, partim male accepta, partim malè intellecta, produxerunt. Videatur Nilus I. i. de Purg. Thomas in Opusculo contra errores Græcorum hoc nomine Græcos perstrin git, quod non credant Purgatorium. De Irenæo Lugdunensi Episcopo (qui Græcè scripsit) Erasmus judicat, eum ita loqui ut qui nullum Purgatorium sciverit, (quod deleri jussum in Indice Expurgat. Belgico pag. 172.) Johann. Fischerus Episc. Roffensis in confut. Lutheri artic. 18. pag. 496. Legat, qui velit, Græcorum veterum commentarios, & nullum, quantum opinor, aut quam rarissimum de Purgatorio sermonem inveniet &c. (Sane idem Roffensis postea artic. 37. colat. 725. verba illa, quod Græcis ad hunc usque diem non sit creditum, Purgatorium esse, de vulgo Græcorum intelligi vult, non de Patribus Ecclesia Græcanice, quos putat fuisse Purgatorio. Sed quis credat, aliam fidem fuisse Patrum vel Doctorum, aliam vulgi vel auditorum? Accedit, quod idem Roffensis ipsos etiam Patres Græcos quoad doctrinam



nam de Purgatorio errasse, nimis illud non recipiendo, expressè scribit libro 1. de unica Magdalena col. 1409. Conf. & Polydorus Vergilius lib. 8. de rerum invent. cap. 1. Alphonsus à Castro lib. 12. adversus hæreses tit. Purgatorium f. 258. Unus ex notissimis erroribus Gracorum & Armenorum est, quo docent, nullum esse Purgatorium locum. ac vid. idem f. 319. Idem lib. 8. init. de Indulgentiis. Usque in hodiernum diem Purgatorium non-est à Gracis creditum. ( Non distinguit Alph. à Castro inter Gracos veteres & recentiores, ut faciunt Salmeron in 1. Cor. 15 Disp. 25. & Stapler. part. 2. promt. Cathol. pag. 284. sed in genere eum tribuit Gracis, noverat enim à Roffensi etiam veteribus Gracis eum fuisse attributum, quinimo contextus ostendit, Alphonsum loqui de Gracis veteribus. Armilla aurea in voce Purgatorium pag. 692. tradit, negare Purgatorium, esse errorem Gracorum. Similia habent Præcolusq. 7. Elenchi p. 203. Sixtus Senensis l. 6. Biblioth. annot. 2' 9. p. 53 S. Sigism. ab Herberstein in lib. de rebus. Moscovit. Jodos. Cœcius t. 2. Thesauri l. 7. art. 5. p. 846. Synodus Gracorum & Apologia de Purgatorio Concilio Basileensi exhibita. Ignem, ait Synodus, Purgatoriu messe, pœnamq; per ignem temporalem finem habituram, a Doctoribus nostris prorsus nihil accepimus, neque Ecclesiam Orientalem ( sicut & alias di- dictum est ) ita sentire compertum habemus. In tota Apologia respon- dient Graci ad loca ex Maccabais, Evangelio Matthæi, Basilio Magno, Epiphanio, Johanne Damasceno, Dionysio, Gregorio Nyf- seno; ex Augustino, Ambroso, Gregorio Magno & aliis Latinis de Purgatorio allegata, & contrâ ex verbo Dei & Ecclesia Græcæ Doctoribus copiosè & firmiter probant, nullum plane Purgatori- um ignem post hanc vitam esse posse. ( Edita est hæc Apologia cum tractatu Nili de primatu Papæ. Bellarminus libr. 1. de purgat. cap. 1. non invenit antiquius Concilium, quod purgatorii me- minerit, quam ienitum Carthaginense, celebratum Anno 397. Bracarense l. celebatur Anno 63. Cabilonense Anno 662. ha- bitum: nullum etiam ex Latibus in primis tribus seculis pro- ducit. In seculo quarto & quinto purat se quædam inveniuntur in Aibaraso; Nazianzeno & aliis nonnullis, quæ non purga- torium assurant, sed quæ ostendant aliqua vestigia præcum-

Qq. 3

(quæ)



(quæ tamen potius sunt vota & desideria mentis erga rem præteritam aut præsentem, non futuram, quam preces unicè respiciunt) pro mortuis, unde postmodum se purgatorium per consequentiam probaturum sperat. Conf. idem Bellarminus lib. I. de purgator. cap. 2. §. 6. item c. 15. § adserunt

3. Quod agnoscunt, purgatorio in Ecclesiâ à multis fuisse omni tempore contradictum (quorum sententiam veritati magis conformem esse ex illis, quæ pro nostra sententia superius sunt adducta, perspicuum est. Nec obstat, quod Romana Ecclesia pro hæreticis illos damnavit, hoc enim facti est, non juris.) Illud affirmant Alphonsus de Castro lib. 12. adv. hæreses verbo Purgatorium hæresi. Bellarminus lib. I. de Pur-gator. cap. 2. §. 2. & seqq.

4. Quod fatentur, purgatorium esse dogma Ethnicum, Judaicum & Turcicum. (Bellarminus quidem ex eo ipso purgatorium probat, quod nitatur communis opinione omnium gentium, lib. I. de Purgat. cap. II. §. Tertia ratio &c. Sed communis illa opinio excætorum Judæorum, blasphemorum Mahometanorum & idololatricorum gentilium est potius argumentum erroris, quam veritatis. Nam lumen Nature, extra & præter verbum novos fidei articulos excogitans, corrigendum est ex lumine gratie, quod in verbo revelato nobis proponitur.)

Primo, quod sit dogma Ethnicum, agnoscunt Bellarminus lib. de Purgat. cap. 1. Quanquam ac cap. II. §. Tertia ratio, Ingolstadienses Jesuitæ in Disp. de Purgat. Salmero tom. 14. Disp. 25. pag. 226. Xaverius lib. 4. Epist. Indic. 1. Petrus Thyreus Append. 2. ad lib. de Spirit. apparit. capit. 5. Beierlinck select. concion. 28. pag. 524. Lodovicus de la Cerdâ in 6. Æneid. p. 676, a. pag. 684. b. pag. 695. a. Confer Natalem Comitem lib. 3. Mytholog. cap. 9. pag. 274. cap. 10. pag. 186. Atque ut eò magis de conformitate doctrinæ Pontificiaz atque Ethnicæ constare possit, confer pratum illud florentissimum, lucidissimum, odoratum, amoenum, in quo degunt animæ, visioni divine nondum idoneæ, quod describit Bellarminus lib. 2 de purgator. bap. 7. cum descriptione camporum Elysiorum apud Virgilium lib. 6. Æneid. Quomodo anniversaria sacra pro defunctis. Item

*Septem.*



*Septendialia in Romana Ecclesia recepta, ex gentilium ritibus originem traxerint, latè exponit polydorus Vergilius lib. 6. de Rerum invent. cap. 9. & 10.*

Secundò, quòd sit dogma Judaicum, agnoscunt Bellarmi-  
nus lib. 1. de Purgator. cap. 11. Baius Jes. in Catech. con-  
trov. tractat. 2. q. 44. (Prudentiores hac in parte suère Inqui-  
sitors Hispani, qui ex tomo 4. Bibliothecæ Patrum jussérunt  
expungi librum, cui titulus est, *Extremum lugentium officium*.  
ex libro precationum Hebraicarum, qui inscribitur Mahzor  
sanctæ Synagogæ Romanæ. Videatur Index Expurgatorius  
Cardinalis Quirogæ in Expurg. Biblioth. Patrum fol. 19.)

Tertiò, quòd sit dogma Turcicum, agnoscit Bellarmius,  
d. l. sic scribens : *Mahometani Purgatorium in Alcorano dixerit  
confitentur. Salmeron tom. 14. p. 225. Belonius lib. 3. Observat.  
cap. 30.*

5. Quòd agnoscunt, Christum pro culpa & pœna satis-  
fisse. (Quòd si enim Christus plenissimè pro omnibus peccatis  
nostris tam *venialibus*, quam *mortalibus*, ac pro omnibus pecca-  
torum nostrorum pœnis tam *temporalibus*, quam *eternis* satis-  
fecit. utiq; nihil restat, pro quo nobis adhuc vel in hac vita, vel  
in purgatorio satisfaciendum sit.) c. Filius Dei dist. 4. de con-  
secrat. ex Augustino *Filius Dei carnem peccati suscepit, & pœnam  
sine culpa, ut in carne peccati & culpa solveretur & pœna.* Similia  
habet Thomas p. 3. q. 49. art. 3. ad questionem, an per passionem  
*Christi liberati simus à pœna peccati.* Bellarmius lib. 1. de Indul-  
gent. cap. 4. resp. ad 6. object. *Quidam Lovanienses renuerunt,  
soli Christi satisfactionibus remissam pœnam temporalem.* Idem  
lib. 2. de Indulgent. cap. 10. §. Ac primùm &c. *Christus satisfecit  
Deo Patri plenissimè pro reatu culpa & pœna temporalis & aeterna  
omnium peccatorum.* pro quo igitur nobis satisfaciendum erit?)  
Plura hac de re dicemus art. 16. cap. 5. thes. 2.

6. Quòd agnoscunt, piis in hac vitâ perfectè remitti pec-  
cata. (Plenaria peccati remissio & culpa & pœna remissionem  
complectitur. Quòd si ergo in hac vita peccatum perfectè re-  
mittitur, utique nihil pœnarum in purgatorio adhuc persol-  
vendum piis restat.) c. Impudicas caus. 27. quæst. 1. ex Concil-  
lio



lio Triburienſi pœnitentia vocatur purifcatorius ignis pœnitū-  
dinis, quo peccata decoquuntur. (Nisi rūm hoc eſt verum pur-  
gatorium, quo virtute ſanguinis Chriſti per fidem peccata in  
hac vita purgantur, ne eorum pœna in futura vita nos ma-  
neant.) Lombardus lib. 3. ſent. diſt. 19. lit. A. Si recte fidei in-  
tuitu in illum respicimus, qui pronobis pependit in ligno, à vinculis  
Diaboli ſolvimur, hoc eſt, à peccatis, & ita à Diabolo liberamur, ut  
nec poſt hanc vitam in nobis inveniat, quod puniat &c. Thomas  
part. I. 2. q. 87. art. 7. Omnis pœna, qua merè & propriè eſt pœna,  
eſt propter aliquam culpm. Idem part. 3. quæſt. 86. artic. 3. ex  
Augustino. Deus omnia peccata remittit ſimul & perfecte. Bene-  
dictus Pererius in Genefin cap. 9. num. 163. pag. 541. Si pœna  
propriè ſumatur, neceſſario responderet peccato, nec ſine eo poſteſt eſſe,  
ſiquidem per pœnam compensatur ac reficitur equalitas iuſtitia, per  
peccatum violat. Similia habet Bellarminus lib. I. de pœnitent.  
cap. 7. §. Adhæc &c. lib. de Laicis cap. II. §. Sextò probatur &c.  
(Ubi ergo plenaria & perfecta remiſſio culpæ locum habet, ibi  
omnis pœna proptiè dicta eſt ſublata; quinimo culpæ remiſſio  
nihil aliud eſt, quam pœna relaxatio & condonatio. Sed quid  
opus eſt, per conſequencias ex hypothefiſibus adverſariorū  
deductas hoc conſirmatum dare, cum ipſimēt hoc fateantur?)  
Toletus Cardin. lib. 6. Inst. cap. 22. pag. 526. Peccatum non inte-  
grè remittitur, niſi cum pœna auferatur. Similia habet Bellar-  
minus lib. I. de purgator. cap. 4. §. 4. ac lib. 5. de amiss. gratia &  
ſtatu peccati c. 20. §. 6. (Aut ergo perfecta peccati in hac vita  
remiſſio, aut purgatorium poſt hanc vitā erit negandum. Ultra-  
que ſimul ſtare non poſſunt.) Schoppius in Apologet. cap. 57.  
f. 82. in regeneratione propter Chriſti ſanguinem omnem culpm &  
pœnam etiam temporalē remitti aſſerit. (Ergo omnes regene-  
rati quā tales ab omni pœna etiam temporali ſunt immunes,  
& per conſeq. non veniunt in purgatorium.) Huc referri et-  
iam potheſt, quod peccatorum remiſſionem definiunt per to-  
talem eorum deletionem & per extinctionem. (At fi pecca-  
ta in remiſſione penitū delentur & extinguitur, utique ni-  
hil pœna proprieſiſi dicte pro illis perſolvidum reſtat.) Il-  
lud aſſerit Bellarminus lib. de Baptismo cap. 13. §. Quartum  
caput



caput &c. ac lib. 2. de justificat. cap. 2. §. Quod si &c. &c. p. 3. s. 3. (Quod si ergo in piis, Deo in hac vita reconciliatis & justificatis, peccatum penitus deletur, quid in illis remanet adhuc in purgatorio mundandum, abluendum, expurgandum? Sic igitur concludimus: Qui in purgatorium à Pontificiis alegantur, aut sunt Deo reconciliati & justificati, aut non sunt Deo reconciliati & justificati. Posterius dici nequit, quia qui Deo reconciliati non sunt, non moriuntur in statu gratiae, sed in infernum præcipitantur. Si prius, nihil in illis expurgandum restat, cum per infusam gratiæ lucem omnes peccatorum tenebrae penitus sint discussæ ac fugatae.)

7. Quod agnoscunt, homines non posse pro peccatis suis satisfacere. (Ergo nec pro poenitentia peccatorum satisfacere possunt, quia ut remissio peccati est relaxatio poenitentiae, ita satisfactionis pro pena peccati est satisfactionis pro ipso peccato. Negata autem satisfactione propriâ pro peccatis & peccatorum poenitentia, tolli purgatorium, agnoscit ipse Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 2.) Bernhardus serm. 38. in Cant. Peccata tua maxima sunt & nimium multa. Nequaquam pro tot actantibus, nec si te excorieris, sufficis satisfacere. Similia habet idem in tract. de pass. Domini cap. 30. col. 1635. Plura hujus generis adducentur in articulo de poenitentia.

8. Quod agnoscunt, animas piorum post mortem rectâ in cœlum ferri. (Ex quo sponte sequitur, eas non detrudi prius in purgatorium.) Clemens Romanus lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 47. in orat. ad Deum loquens de piorum animabus à corpore separatis: Omnia anima apud te vivunt, & iastorum Spiritus in manu tua sunt, quos non attinget tormentum. Omnes enim sanctificati sub manu tua sunt. Anastasius ejus nominis primus, Episcopus Romanus Epist. 2. Indecens est de illis tardio afflictionis addici, quos credendum est ad terram moriendo vitam pervenire. Similia habent Johannes IX. alias IIX. dictus tom. 3. Conciliorum part. 2. fol. 963. Epistol. 144. ad quosdam Episcopos. Innocentius IV. in Decretalib. Gregorii lib. 3. tit. 42. cap. 4. Thomas in 2. Corinth. 5. Pro certo habemus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis; id est, corpus dissolvatur, id est, cor-



rumpatur per mortem, habemus statim non in spe, sed in re meliorem domum seu adificationem, domum non factam, id est, gloriam cœlestem. Gemella habet Peltanus de Purgat. cap. II. p. 380. ad dictum Apostoli 2. Corinth. 5. v. I. (At si illi vi præsentis dicti continuo post mortem ingrediuntur cœlum, cur non idem de aliis quoque justis erit dicendum, cum omnes ratione justitiae inharentis imperfectè, ratione justitiae Christi per fidem imputatae sint perfectè justi?) Benedictus Justinianus in Comment. Philipp. I. scribit, quod non verè pro lucro sit habenda mors, nisi statim iustorum animi, omniq[ue] prorsus labe peccati expiati ad immortalē Dei conspectum evanescantur. Conf. & Bellarminus lib. I. de Beatitud. Sanct. c. 3. test. 6. Förnerus im aufgezogenen Goßlachs Schwert artic. 12. cap. 6. pag. 614. Wir Catholische bekennen eben das das alle/die in fide formatā, in wahren Lieb- und mercr- reichen Glauben abdrucken/das ewige Leben alsbald nach ihrem Tode haben. (Nam verò omnes verè credentes ac pii fide formatā, hoc est, vivā & per caritatem efficaci prædicti sunt. Ergo nulli verè credentes & pii veniunt in purgatorium.)

9. Quod agnoscunt, duo tantum dari animarum post hanc vitam receptacula. (Ergo non datur tertius locus, videlicet purgatorium.) Illud affirmat Gregorius Homil. Domin. XXI. post Pentecost. Rabanus Archiepiscopus Moguntinus in Epistola ad Hadubrandum. *Nusquam omnes boni (defuncti,) nisi in cœlo: nusquam omnes mali, nisi in inferno.* Bernhardus in sentent. moralibus cap. 9. *Tria sunt loca. Cœlum, terra, infernus, & habent singuli habitatores suos; cœlum soles bonos, terra mixtos, infernus soles malos.* Hūc pertinet, quod omnes Pontificii communis suffragio docent, in extremo iudicio purgatorium habiturum finem, ac duotantum fore receptacula eterna, videlicet cœlum & infernum. (Quod si enim post extremum iudicium nullus erit purgatorius ignis, utique etiam ante illud non erit. Ratio connexionis potest dati duplex. Prior à iustitia Dei, quæ non permittit, ut multa hominum millia paulo ante novissimum diem defunctorū citissimè ex purgatorio dimittantur, ac multa milia hominum, quos dies novissimus deprehendet vivos, in purgatorium non demittantur, cum iisdem peccatis fuerint poluti,



luti, quibus illi, qui ex hypothesi Pontificia per centum ac plures annos in purgatorio desudarunt. Posterior ex vi & efficacia meriti Christi. Si enim Christi meritum in piis paulo ante novissimum diem defunctis, vel etiam a die novissimo deprehensis adhuc vivis tantæ est efficacia, ut vi illius meriti vel non descendant in purgatorium, vel eitissimè ex eo liberentur, utique eandem vim obtinebit in illis, qui diu ante novissimum diem in verâ fide Christi meritum amplectente, moriuntur, cum unius ejusdemque perpetuò sit efficacia. Aetor. 4. v. 12. c. 10. v. 43. c. 13. v. 38. c. 15. v. 11. Heb. 13. v. 8. Apoc. 13. v. 8. ) Illud diserte docet Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 12. resp. ad 5.

10. Quod agnoscunt, conversum latronem absque purgatorii interventu statim in Paradisum fuisse translatum. (Certe si quis alius purgatione aliqua post mortem ante Paradisi ingressum indigeret, hic latro vel maximè ea indigere videbatur, nullius enim boni operis; nedum plenariæ satisfactoris pro peccatis a se præstitz sibi conscius erat. Atqui Christus non ablegavit eum in purgatorium, ut per illud sordes peccati prius expurgarentur, sed recta in Paradisum ipsum introduxit. Nec ullæ hic intervenierunt vigiliae, nulla Missæ, nulla septendalia, trigesimalia, anniversaria, sed fides gratuitæ Christi promissione adhærens in Paradisum cœlestem ipsum transtulit.) Illud affirmant Clemens Romanus lib. 5. Constitut. cap. 16. Johann. Gerson Cancell. Parisiens. in festo Pachat. tom. 4. fol. 36. lit. G. Petrus Michaël in Catech. Colon. Ann. 89. impresso pag. 18. Barradius in tom. 4. Concord. Evangel. lib. 7. cap. 15. pag. 354. Förnerus im aufgezogenem Goliath Schwertart. 11. cap. 10. p. 619. Bellarminus lib. 1. de purgator. cap. 12. resp. ad 6. Beccanus in Append. Disp. de Purga. Calvin. pag. 109.

11. Quod agnoscunt, in hac duntaxat vita locum efficiunt, post hanc vitam nec satisfactioni, nec redemptioni locum dari. (Ergo etiam non datur purgatorium, in quo pro peccatis venialibus & penitentialibus satisfaciendum.) Siricius Episcopus Romanus purgatorium seu purificatorium ignem posuit in contritione cordis & penitentia, quæ in hac vita iussu Ecclesiaz fiat. tom. 1. Concil. fol. 530. Epist. 1. Leo I. Rr 2 Epist.



Epist. 91. tom. 1. Concil. fol. 993. (Negat, easum munere Indulgentia praesentis post temporalem vitam aliam consequi posse.) Gregorius lib. 8. mortalium cap. 8. *Dum tempus vita presentis absconditur, ad operationem promerenda venia alterius non redditur.* Conf. Bernhardus sermon. ad Cleric. cap. 5. c. Quibus peccata cauf. 13. q. 2. c. In praesenti cauf. & quæst. iisd. ex Hieron. Glossa Ordin. in 1. Johan. §. Peccatum, quod in hac vita non corrigitur, frustra post mortem ejus venia postulatur. Ad dantur Discipulus de temp. serm. 103. Alphonsus de Castro lib. 3. advers. hærel. verbo Baptismus, hærel. 3.

12. Quod agnosunt, qualis unusquisque in morte corporalis à Christo invitatur, talem quoque ab eodem judicatumiri. (Ergo à quibus peccatis non est liberatus ac mundatus in morte, ea secum afferet ad judicium, & per consequens nondatur purgatorium, in quo eadam abluantur.) Illud docent Gregorius lib. 4. Dial. cap. 39. lib. 9. moralium cap. 8. Homil. Dominic. II. post Pentecost. Luc. 16. Thomas in Comment. I. Tim. 6. lect. 2. Bellarminus de quatuor novissimis Conc. 1. de morte, §. Ut igitur &c. scribit, hominem moribundam pro comperto habere, post duas horas vel in æternis gaudiis, vel in æternis suppliciis se futurum. (Hac ipsa assertione purgatorii supplicia & universa pro mortuis suffragia tolluntur.) Addit quidem ibidem, illos qui in purgatorio degunt, inter beatos ac felices numerari. Sed quis inter beatos ac felices adeoque in gaudiis æternis degentes numeret illos, qui atrocissimis suppliciis, sola duratione ab inferni suppliciis distantibus, in purgatorio torquentur? Bellarmin. libr. 2. de purgat. cap. 17. §. 1. Pœnas purgatorii dicit esse atrocissimas & cum illis nullas hujus vite pœnas esse comparandus. Ad stipulatur Gregorius de Valent, tom. 4 Disp. II. q. 1. punct. 3. §. Quarta &c. Idem ibid. §. Puniuntur &c. Dicit; animas in purgatorio puniri per illum ignem ad eum modum, quo animæ damnatorum cruciantur ab igne in inferno.

13. Quod statuunt, per Indulgentias Papales obtingere homini plenariam relaxationem à pœnis peccatorum, pro quibus vel in hac vita, vel purgatorio erat satisfaciendum. (Atqui si per indulgentias liberantur homines ab omni reatu pœnæ coram



coram Deo, cur post acceptas & magno ære redemptas Indulgentias adhuc in purgatorium relegendantur?) In Antidotario animæ dicuntur à Johanne XXII. Pontif. Rom. concessa decem milia dierum Indulgentia, orationem, Salva sancta facies nostri Redemptoris &c. de votè coram Veronica linteo recitantibus. Conf. Bellarmin. lib. i. de Indulgenc. cap. 7. propos. 4.

14. Quòd statuunt, Papæ jurisdictionem esse illimitatam & extendere se in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio & stuantibus Indulgentias per modum solutionis communicare possit. (Quòd si enim Pontifex talem absolutam ac liberam potestatem habet, animas è purgatorio liberandi, profecto admodum durum, avarum ac Tyrannicum esse oportet sanctissimum illum Patrem, quòd miseris animas ex flagrante illo purgatorii igne, qui sola duratione ab infernali distare dicitur, non statim liberat, sed propter pecunias sibi in Jubilao numerandas in cotorqueri & ustulari sinit.) Godscalcus Holem Domin. II. post Pascha serm. 2. ac Bonaventura lib. 4. sent. dist. 20. q. 5. talem illimitatam jurisdictionem in purgatoriis se extendentem, qualem jam descripsimus, Pontifici tribuunt, unde etiam Theodoricus Morung Canonicus Heribolensis, Bambergensis & Eychstedensis Anno 1489. probatorio declaratus est, quod hoc concedere noluerit. Vide Appendix. Fasciculi temporum à Johanne Pistorio editam Franckfurt. Ann. 1584. Angelus de Clavasio in Summa. Animæ existentes in purgatoriis sunt de jurisdictione Papæ, & Papæ, si vellet, posset torum purgatoriis evacuare. Franciscus Middens. in Elucidat. Cathol. verit. Pontifex omnes è purgatorio liberare posset. Id ipsum etiam quosdam ex Jesuitis statuere, apparet ex Disputatione Anno 1600. de Indulgentiis Ingolstad. habita, quam Petrus Steartius in Censura vocat elegiam, doctrinam & orthodoxy veritati consentaneam thesi 52. Idem statuit Michaël Medina Disp. 7. cap. 34. & Disp. 8. cap. 41. de Indulgentiis.

15. Quòd statuunt in purgatorio non esse amplius merito locum. (Ergo nec satisfactioni in purgatorio locus erit, cum eadem sint requisita meriti ac satisfactionis, & omnis satisfactionis meritoria). Illud adserunt Alfonsus de Castro lib. 12. adv.



hæreses, verbo Purgatorium hæresi 2. Bellatminus lib. 2. de Purgat. cap. 2. (Excipit quidem Bellarminus ad argumentum nostrum (In purgatorio non est locus merito. Ergo nec satisfactioni) lib. 1. de Purgat. cap. 14. resp. ad 5. quod plura requirantur ad meritum, quam ad satisfactionem, videlicet libertas & status vita. Sed respondemus, omne opus satisfactorium esse etiam opus meritorium, ut constat ex obediencia Christi, quæ non solum est satisfactoria, sed etiam meritoria. Quocunque enim opere Deo verè satisfactis, eodem etiam meritum aliquod, videlicet liberatio à malo & donatio boni acquiritur. Unde Concil. Trident. sess. 6. Can. 32. hæc duo conjungit, quod renatorum operibus nihil desit, quod minus legi divina plenè satisfecisse & vitam aeternam verè promeruisse censeantur. Diversitas loci non mutat ipsum boni operis effectum. Si opera & passiones hujus vitæ sunt non solum satisfactoria, sed etiam meritoria, utique etiam passiones in purgatorio tales erunt. Et vicissim, si passiones in purgatorio non sunt meritoria, ergo nec satisfactoria.

16. Quod concedunt, animas in purgatorio non posse peccare, proinde nec poenitentiam agere. Bellarm. lib. 1. de Purgator. cap. 14. & lib. 2. de Purg. c. 2. in epigr. (Ergo nec remissio culpæ venialis, nec satisfactio pro pena locum habere possunt post hanc vitam. Prius probamus hoc modo: Ejus est à culpa resurgere, cuius est in culpam incidere. Sed post hanc vitam non possunt animæ committere peccata venialia. Ergo &c. Præterea peccata omnia remittuntur per poenitentiam. Sed post hanc vitam non datur locus poenitentia. Ergo nec remissio. Denique in hac vita sicut potest homo justus ex hypothesi Pontificiorum mereri gratia augmentum, ita etiam remissionem venialium offendarum. At post hanc vitam nullum datur meritum. Ergo nec remissio venialium offendarum. Posterior probamus hoc modo: Pœna est propter culpam. Ergo remotâ culpâ, removetur pœna, & per conseq. satisfactio pro pœna post remissionem culpæ in hac vita non potest habere locum in purgatorio. Scholastici variè respondent. Vid. Bell. orthod. testim. p. 372. seqq.

17. Quod purgatorii dogma laboret perpetuis contradictionibus.



dictionibus. (Illæ enim contradictiones magnum falsitatis argumentum exhibent, cùm verum vero semper consonet, falso verò & cum veritate & secum ipso pugnet.) Dissentient enim Pontificii & contradictione proferunt.

1. In nomine purgatorii. Purgatorium in lingua Germanica communiter vocant das Fegefeuer ac communis est opinio, instrumentum illud, quo anima post hanc vitam à fardibus peccati expurgantur, esse ignem, & quidem Elementarem. At si res ita habet, cur Johan. Fischerus Episc. Roffensis & alii pro stabiliendo purgatorio adducunt locum Ps. 66. v. 11. *Transivimus per aquam & ignem?* Cur Peltanus de Purg. c. 7. p. 317. ad purgatorium applicat locum Jobi 24. v. 19. *A nimio calore transeunt ad aquas nivium?* (quem Paludanus lib. 4. sent. dist. 21. tantum de pœnis damnatorum agere agnoscit.) Cur Gregorius lib. 4. Dialogor. c. 40. & 55. refert, animam Paschafii & cuiusdam alterius in balneis quibusdam purgatas? Ecce approbat revelacionem descriptam à Beda lib. 5. Hist. c. 13. Confer Beilarm. lib. 2. de gemitu columba cap. 9. ubi hanc Historiam non dubitat esse verissimam, ac sit consentaneam Scripturæ dicenti Job. 24. v. 19. *Ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium.* Cur Petrus Damianus in Epistola de miraculis sui temporis describit visionem de purgatione anime S. Severini in quodam flumine? Conferantur Bonaventura libr. 4. sent. dist. 20. Speculum exemplorum dist. 3. exemplo 3. Dionysius Carthusianus in Dial. de judic. anim. post hanc vitam art. 24.

2. In probandi principio, ex quo purgatorii dogma stabilendum & quidem multis modis. Primo, quidam agnoscunt, purgatorium non posse ex Scriptura probari, vel certè non extare de eo evidentia, expressa & perspicua in Scripturis testimonia, quorum verba adduximus superius membro 1. Sed reliqui Scriptores Pontificii magno conatu varia Scripturæ testimonia conquerunt, ac Synodus Tridentina sess. 25. Ecclesiam sacris literis edictam purgatorium statuere, asserit. Vid. Viguerius in Inst. cap. 16. §. 4. v. 28. Peltanus c. 6. de purgatorio p. 239. & 241. Martinus Eisengrein in der dritten Leichp. edigt fol. 38.b Secundò, quidam latentur, unicum dunt axat locum, nempe 1. Macc. 12.



in Vet. Test. extare, qui apertè docent purgatorium, quorum dicta itidem superius membro primo §. 2. adduximus. Alii contrà non unum duntaxat, sed multa illustria testimonia Vet. Test. pro purgatorio stabilendo adduci posse, afferunt. Fevardentius in sua Theomachia ex singulis libris Biblicis purgatorium demonstrare conatus est. Tertio, quidam pro astruendo purgatorio paucatantum, quidam verò multa Scripturarum testimonia proferunt. Sylvester Delaval Capucinus iustarum magnitudinem Ecclesiæ Romanæ lib. 4. cap. 13. gloriatur, se quadrupliciter locos Scriptura enumerare posse, quā claros, quā obscuros, idq; absque ulla hyperbole & Deo teste, quanquam extanto numero sex tantum in medium proferat. Lancellottus in hæretico Quare pag. 400. non nisi tria testimonia allegat, videl. 2. Maccab. 12. Matth. 12. 1. Cor. 3. Peltanus cap. 6. de purgatorio p. 281. tria tantum pro illustribus & evidenteribus testimoniis habet, videl. Matth. 12. 1. Cor. 3. Phil. 2. Beccanus lib. 1. Manualis cap. 8. p. 147. quatuor loca adducit, videl. Matth. 12. Luc. 23. 1. Cor. 3. & 1. Cor. 15. (Id verò ideo ab ipsis factum videtur, quia reliqua Scripturæ testimonia, quæ ab aliis magno numero allegantur, pro inefficacibus ad probandum habuerunt.) Gregorius de Valent. in lib. de purgat. itidem quatuor duntaxat testimonia. Scripturæ pro astruendo purgatorio adducit, videl. 2. Macc. 12. 1. Cor. 3. Matth. 12. & 1. Joh. 5. Quartò, quidam fatentut, primitivæ Ecclesiæ Doctoribus ignotum fuisse purgatorium, quorum dicta citavimus superius membro 2. Sed plerique Scriptores Pontificii ex omnibus ferè Patribus Græcis & Latinis per singula secula pro astruendo purgatorio testimonia anxiè conquirunt. Facit hoc Bellarminus lib. 1. de purgatorio cap. 10. Wilhelmus Lindanus lib. 4. panopl. cap. 53. p. 314. Veteres Patres concorditer uno ore statuunt purgatorium. Conf. Clingius lib. 4. Locor. Comm. cap. 59. pag. 453. Quintò quidam agnoscunt, purgatorium destitui veterum Patrum Græcorum suffragio, quorum dicta itidem adduximus superius membro 2. Alii verò ad illorum etiam consensum provocant. Salmeron Disp. 25. in 1. Corinth. 15. omnes veteres Græcos Patres & agnoscisse purgatorium, & scriptis suis luculentissime prodidisse afferit. Peltanus



tanus cap. 9. de purgatorio p. 334. Gracos, Gracisq; cognatos plurimos allegat. Conf. Bellarminus libr. de purgatorio cap. 15. Quidam medium viam eligunt, & Gracos cum Latinis in doctrina de purgatorio partim consentire, partim non consentire afferunt. Videantur Maldonatus tom. 2. Disputat. de Sacramentis pag. 143. Jodocus Ravenstein in Apolog. cap. 20. fol. 368. Gretserus in Disputat. de anim. recept. thes. 19. Purgatorium duplices habet hostes hoc tempore, hereticos & Gracos, quiq; Gracis addicti. Heretici penitus id inficiantur. Idem ex Graci non nulli faciunt, ut appareat ex Gennadio. Alii ex illis agnoscunt quidem expurationem aliquam post mortem, si quis non omnis macula purus hinc decebat, sed non igne, nec per ignem. Nos, inquit Graci in Concilio Florentino, purgatorium non ignem, sed obscurum quendam lacum ac laborum plenum esse censemus, in quo quidem existentes anima lumine divino priventur, donec, coadiuvante Ecclesia extinentur ac liberentur. Idem ferè habetur in Apologia, Latinis à Gracorum conventu oblata. (Cùm ergo ipsimet Pontificii de Gracorum sententia tam dissimiliter loquantur, quomodo possunt eos protestibus consentientibus allegare? Quomodo etiam Graci cum Latinis in dogmate de purgatorio consentiunt, cùm, omissis aliis dissensionibus, Graci statuant, purgatorium futurum post resurrectionem, ut animæ simul cum corporibus puniantur; Pontificii verò non nisi animarum ante resurrectionem purgationem credant, & post factam resurrectionem ignem purgatorium extinctum iri statuant?) Sextò, quidam purgatorium probant ex dicto Zachariæ 9. Eduxisti vincitos tuos de lacu, in quo non est aqua. Salmeron Disput. 26. in 1. Cor. 15. Bellarminus lib. 1. de purgatorio cap. 3. loc. 9. Alii verò illud probant ex Psal. 66. Transivimus per aquam & ignem &c. quin & ipse Bellarminus d. l. hoc dictum producit loc. 5. (Athæc dicta non possunt simul ad purgatorium applicari. Si enim in purgatorio non est aqua, quomodo de animabus in purgatorio dici potest, quod per aquam & ignem transeant? Septimò, quæ Scripturæ dicta à quibusdam Pontificiis ad purgatorii ignem succendendum & alendum adhibentur, ea ab aliis de purgatorio agere negantur, ut ex sequentibus manifestum fiet. Locum.

Ss

Apo-



Apostolicum 1. Corinth. 3. in quo præcipuum purgatorii fundamen-  
tum statuunt, Martinus Eisengrein conc. 4. funebri t. 57.  
habet pro maximè claro & perspicuo, sed Bellarminus lib. 1. de  
purgat. cap. 5. dicit, *eum esse unum ex difficilioribus totius Scriptu-*  
*re locis.* Quinimò unus idemque scriptor unum eundemque  
Scripturæ locum pro purgatorio asserendo alicubi adducit,  
quod tamen alibi ex eo probari posse negat. Bellarminus lib. 1.  
de purgatorio c. 14. *ex loco Hebr. 10.* insigne argumentum pro pur-  
gatorio haberi asseri. Sed idem Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei  
cap. 17. resp. ad 5. argumentum, statuit, *Apostolum loqui non de*  
*quocunque peccato, sed de eo, qui peccat in Spiritum sanctum, id*  
*est, qui voluntarie oppugnat cognitam & exploratam veritatem.*  
(Quæ hypothesis insigne illud argumentum, quod pro purgato-  
rio ex hoc loco peti posse Bellarminus vigilans somniavit, pe-  
nitùs evertit. Nam peccantibus in Spiritum sanctum nulla in-  
purgatorio medicina expectanda.) Sic Bellarminus lib. 1. de  
purgat. cap. 3. de loco Zach. 9. scribit. *Eis hunc locum pasim*  
*pro liberatione Patrum ex limbo adducunt, tamen melius convenit*  
*liberationi animarum ex purgatorio, quam expositionem duobus*  
probat argumentis. Sed idem Bellarminus lib. 4. de Christo  
cap. 11. *limbum ex hoc dicto Prophetico fulcire conatur, cum*  
tamen *limbus ac purgatorium sint distincti sinus inferni.* Ora-  
vè, quando ex Paribus purgatorium confirmare cupiant, ta-  
lia producunt dicta, quæ desumpta sunt ex illis Patribus & illis  
Patrum libris, quos alibi ipsimet repudiant, ut constare potest  
ex illis, quæ dicta sunt lib. 1. part. 2. cap. 13.

3. In assignanda præparati purgatorii causa. Quidam sta-  
tuunt, purgatorium esse præparatum propter peccata venialia,  
ut ab illis animæ abluantur & purgentur. Alii verò hoc ipsum  
negant. Alexander Alensis negat, *ullum peccatum veniale quo-*  
*ad offensam in purgatorio remitti, ut patet ex Vasquez tom. 4. in*  
3. p. q. 87. art. 1. Maldonatus hanc dissensionem non negat. Ceu-  
patet ex tom. 2. Disputat: de Sacrament. p. 174.

4. In doctrina de receptione purgatorii in Ecclesiam. Jo-  
hannes Fischerus art. 18. contra Lutherum col. 496. statuit, ar-  
ticulum de purgatorio in N. T. serò cognitum & receptum fuisse ab  
Eccle-



*Ecclesia.* Verba ejus adducta sunt superius membro 2. Sed hanc sententiam alii ex professo refellunt. Vid. Maldonatus tom. 2. Disputat. de Sacram p. 144. & 195. Rutlandus in Loc. Comm. tit. 12. pag. 301. 34. 351. Possevinus in Refutat. resp. Chytrai pag 288. Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 15. Fe ardenti. s lib. 11. Theomachix cap. 3. num. 6.

5. In obiecto, five personis in purgatorium relegandis. Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 1. scribit. *Multi Patres, Cogenes, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Rupertus, statuunt, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto, adeo ut ipsa quoque Maria per ignem illum purgatorium transeat.* Hanc sententiam acceptam ut sonat, Bellarminus dicit *continere errorem*, Patres tamen uno Origene excepto, excusat. Franciscus Middensis in Elucid. Verit. Cathol. in annot. disertis verbis eam confirmat. Conf. & Maldonatus tom. 2. Disp. de Sacramentis p. 147. & 159. (Et sanè, si Pontificij per ignem in loco Apostolico 1. Cor. 3. v. 13. intelligere velint ignem purgatorium, statuere cogentur, tam eos, qui superfundamentum ædificârunt aurum, argentum & lapides preciosos; quam eos, qui fenum & stipulas super ædificârunt, hoc est, tam bonos, quam malos in illum ignem descendere.) Plerique tamen contra statuunt, tantum eos venire in purgatorium, qui cum macula peccatorum venialium & debito pœnarum temporalium decadunt. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 2. Schoppius Comment. de Indulgentiis cap. 45. f. 34. Huc referri potest, quod Rayhingius in Manuali p. 566. statuit, *ignem in die judicij Christum judicem antecessurum fore purgatorium ignem.* Sed præterquam, quod Psalm. 96. v. 3. ignis ille dicitur *devoratus inimicos*, refellit hanc expositionem prolixè Suarez Disp. 45. sect. 1. num. 24.

6. In questione de ministro seu tortore ac carnifice purgatorii. Vid. Archangelus Rubeus in opere Sacramentorum dist. 21. Salmero tom. 14. pag. 232. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 13. f. 1. Quatuor autem in universum opiniones de hac questione apud Pontificios inveniuntur. Quidam ex relatione Diaboli putant, *animas sui dunt taxat exilio vi & ignis vehementia*



tiā affligi. Specul. Exempl. dist. 4. exemplo 44. & dist. 6. exemplo 89. Quidam ignem flatu omnipotentis excitari & accendi statuant. Ita sentit Legenda aurea Hist. 158. Bonaventura lib. 4. sent. dist. 40. §. 29. animas ab Angelo bono in purgatorium duci ac educi afferit. Alii ex revelationibus probare conantur, animas purgatorii à Demonibus torqueri. Et sanè, si purgatorium est sinus quidam inferni, si locum Matth. §. v. 25. ne iudex tradat te ministro ad purgatorium accommodare velimus, si Diabolus divinæ justitiae executorem agnoscimus, ecce torquendi partes alteri quam Diabolo assignare velimus? Hoc ipsum tamen, videlicet quod animas purgatorii torqueantur à Demonibus, à quibusdam negatur, videlicet à Viguerio in Institut. cap. 16. §. 4. pag. 506. Maldonato tomo 2. Disput. de Sacramentis pag. 171. Lorichio in voce Purgatorium num. 9. Vischero lib. 7. Syst. Theol. cap. 2.

7. In quaestione de animab. tempore descensus Christi ad inferos in purgatorio & stuantibus. Vid. Thomas part. 3. quæst. 52. art. 8. in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 2. q. 4. Durand. dist. ead. q. 4. Richardus art. 3. q. 2. Abulensis in Parad. 5. cap. 118. &c. Bonavent. 3. sent. dist. 22. Biel q. un. art. 2. dub. 3. Marsilius q. 13. art. 2. dub. 3. Alphonsus Mendoza in Controv. Theol. q. 6. Schol. p. 485. Bellarminus dubius est, ceu patet ex libr. 4. de Christo cap. 16. dub. 4. §. De animabus &c.

8. In quaestione de medio purgationis. Primò, medium purgationis communiter dicunt esse ignem, unde Germanicè vocant, das Feugfeuer. Thomas Morus contra Lutherum scribens acriter contendit, *in purgatorio non esse aquam*, idque probare contendit ex Zach. 9. Eduxisti vinculos de lacu, in quo non est aqua. Sed quidam etiā aliis modis ac mediis purgationem fieri & factam esse afferunt, ut ostendimus superiùs contrad. 1. de nomine purgatorii, vid. Paludanus 4. sent. dist. Martinus Eisengrein concion. funebr. 2. f. 37. Peltanus c. 6. de purgat. pag. 239. Bellarminus itidem cespitat lib. 2. cap. 6. Certum est, inquit, in purgatorio, sicut etiam in inferno, esse pœnam ignis, sive iste ignis accipiatur propriè, sive metaphorice: & sive significet pœnam sensus omnes sive damni. It. Theologiferè docent, eodem loco esse & eodem igne torqueri



queri damnatos & animas purgatorii. Secundò, de qualitate ignis purgatorii, dissentunt. Vid. Albertus 4. sent. dist. 20. Antonius part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 10. & 11. Benedictus Justinianus in Comm. 1. Cor. 3. Rayhingius in Manual. Cathol. cont. D. Hoë p. 861. Bazmannus in Hodeg. nihil certi ponit, sed vel de reali igne, vel de alio quodam tormento accipendum putat.

Tertiò, ex hypothesi illa, quòd ignis purgatorii sit ejusdem speciei cum nostro Elementari, oritur magna difficultas, quomodo ignis corporeus Elementariis urat animas incorporeas? Bellarminus d. l. cap. 12.

#### 9. In quæstione de statu animarum in purgatorio.

Primò, quidam statuunt, animas in purgatorio adhuc posse mereri. Thomas 4. sent. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad 4. disputat, post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu premit essentialis, sed tantum respectu accidentalis. &c. Antisiodorensis in Summa lib. 4. refert quorundam sententiam, quòd statuerint, animas in purgatorio posse mereri vel demereri. Sed contrarium statuit Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 2. videlicet, in purgatorio non amplius locum esse meritis. De Thoma responderet, quod sententiam suam mutaverit.

Secundò, quidam statuunt, animas in purgatorio non oware pro nobis. Idem docet Thomas 2. 2. q. 83. artic. 11. ad 3. Sed Nicolaus de Orbellis in 4. sent. dist. 45. quæst. 4. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 15. §. Quod autem &c. Osorius t. 3. concion. pag. 721. affirmant. Conf. Alphonsus Mendoza in Controv. Theol. q. 6. Scholast. p. 485. de hac quæstione prolixè disserens.

Tertiò, quidam negant, animas in purgatorio esse de salute sua certas, quidam vero illud affirmant. Salmero tom. 14. 231. Quidam Catholicí sentiunt, aliquos defunctos salutis ignorantia puniri, & illo vehementissimo dolore, qui inde exsurgit, affligrari. Idem testatur Bellarminus lib. 2. de purgatorio c. 4. Alphonsus de Castro lib. 12. adversus hereses verbo, Purgatorium heresi 3 inter hereses recenset illam opinionem, quæ negat, animas in purgatorio esse de salute securas. Illam tamen certitudinem



nem Bellarminus dicit esse medianam inter eam, quae est beatorum in vita eterna, & piorum in hac vita, quam vocant conjecturalem. (Verum enim verò, si animæ in purgatorio sunt certæ de sua salute, cur Ecclesia Romana pro eis hac prectionis formâ orat Libera, Domine, animas omnium fidelium & funitorum de penitentiis inferni & de profundo lacu. &c. Bellarminus anxiè querit varias responsones, sed nec lectori, nec sibi ipso satisfacit. Præterea, pœna purgatorii soladuratione differunt à pœnis damnatorum in inferno ex hypothesi Pontificiorum. At qui pœna damnatorum essentialiter includit desperationem salutis, docente Bellarmino lib. 4. de Christo cap. 8. quomodo igitur animæ in purgatorio possunt esse certæ de salute?)

10. In questione de loco purgatorii. Primo. Thomas 4. sent. dist. 21. De loco purgatorii non inventur aliquid determinatum in Scripturis, nec ad hoc possunt rationes efficaces induci. Similia habent Raynerus in Pantheol. tom. 2. p. 572. Maldonatus tom. 2. Disp. de Sacrament. pag. 171. Peltanus de purgat. cap. 5. Bellarminus lib. de purgat. cap. 6. qui etiam d. l. varia opinione hâc de re recenset. In Legendis & Speculis exemplorum memoratur, quod animæ aliae religiæ fuerint in vespere, aliae in montes, aliae in convallis, aliae in puto, aliae sub umbrias arborum, aliae in aërem, aliae sub stilicidia, aliae in glaciem, aliae in fluminis, aliae in antrum Patricii. Rationem diversæ illius circumgyrationis exponit Bonaventura lib. 4. sent. dist. 4. § 34 Conf. & Albertus 4. sent. dist. 20. Paludanus lib. 4. dist. 21. Majolus in dieb. Canic. Colloq. 2 p 61. Martinus Becanus de purg. Calvin. c. 3. p. 32. Fevardentius lib. 1. Theomach. Calv. c. 9. p. 17. Alberti sententiam secutus geminum statuit purgatorii locum, unum vocat ordinarium, qui sit subterraneus inferno proximus; alterum extraordinarium, qui sit varius, in igne, in aëre, in aquis, in terra, in balneis, in glacie, in umbris arborum, prout supremo judicii Deo placuerit. Idem statuunt Viguerius in Institut. Theol. cap. 16. § 4. v. 32. Rutlandus in Loc. commun. tit. 12. pag. 335. Peltanus cap. 4. de purgatorio p. 221. Vischerus lib. 7. System. Theolog. cap. 3. fol. 417. Gretserus in Disput. de anim. recept. th. 47. & seqq.

Secun-



Secundò, de situ generalis & ordinarii purgatorii non omni ex parte inter omnes convenit, quâ de re videantur Chemni-  
tius part. 3. Exam. Concil. Trident. p. 77. Peltanus de purga-  
torio cap. 3. p. 230. edit. Colon. Anno 1576.

Tertiò disputant; an præter cœlum & purgatorium sit ali-  
quis alius locus post hanc vitam pro animabus justis. Quâ de  
re itidem differit Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 7. Con-  
feratur & Lorichius in voce, Purgatorium. num. 10.

11. In quæstione de tempore purgatorii. Primò, Salmero-  
tom. 14. Disp. 25. pag. 220. refert, quosdam assertere, quod ante  
Christi mortem quidem fuerit purgatorium, quia nondum fuerat  
consummata iniquitas, nec finem acceperat peccatum, verum post  
Christi mortem sublatum esse de medio. Quibus opponit locum.  
1. Corinth. 3. & Ecclesiæ confessionem. Secundò, Dominicus à  
Soto lib. 4. sent. dist. 9. q. 3. art. 2. disputat, tempus purgatio-  
nis non durare ultra decem annos. Idem placet Maldonato t. 2.  
Disp. de Sacram. p. 174. Sed discipulus de tempore serm. 156.  
tempus poenarū purgatorii multò longius esse affirmat. Conf.  
& Raynerius in Pantheologia tom. 2. p. 579. Alii rem in medio  
relinquunt ac nihil definiunt. Bellarminus postquam lib. 2. de  
purgat. cap. 9. Dominic à Soto opinionem repudiasset, ei-  
demque opposuisset visiones Sanctorum, quæ testantur, quas-  
dam animas usque ad diem judicij in purgatorio mansuras; Item.  
Romana Ecclesiæ consuetudinem, que anniversaria sacra celebrat  
pro defunctis, etiam si constet, eos ante centum vel ducentos annos esse  
mortuos, tandem concludit, rem esse incertissimam, nec nisi temere  
definiri posse. (At hâc ratione omnes illæ Indulgientiaræ anno-  
rum & dierum computationes erunt ludus & jocus, in dolo turpissimus.  
Becanus tom. 2. opusc. 10. cap. 3. pag. 2. scribit,  
aliquos in purgatorio manere tanum paucis horis, alios certis die-  
bus. nonnullos aliquot annis. Conf. Antoninus part. 4. tit. 14.  
cap. 10. §. 6.

Tertiò communiter statuunt, purgatorium in extremo  
judicio finem suum habiturum; Bellarminus lib. 1. de purgat.  
cap. 12. resp. ad 5. Maldonatus tom. 2. Disp. de Sacram. p.  
169. Stapletonus part. 2. Prom. Cathol. pag. 377. Schoppius in  
Apolo-



Apologia cap. 58. f. 82. Lorichius in voce Purgatorium num. 8. Balduinus Junius in Manuali Theologico lib. 21. c. 1. dogm. 4. Sed veteres. quorum autoritatem in hac controversia Pontificii nobis opponunt (Origenes, Ambrosius, Lactantius &c.) ultra finem seculi extendunt quorundam purgationem. Nec potest dari evidens ratio, cur in fine seculi purgatorium sit extingendum, cum tamen multi paulo ante novissimum diem mortui reatu pœnarum temporalium pro peccatis suis persolvendarum adhuc teneantur obstricti. Sed & Pontifices Romani in multa annorum millia, & sic ultra finem seculi indulgencias suas protendunt.

12. De gravitate pœnarum in purgatorio. Primò communiter asserunt, pœnas purgatorii esse majores pœnis hujus vitæ. Beccanus lib. 1. Manual. cap. 8. q. 2. conclus. i. p. 151. Fevardentius lib. 11. Theomachia Calvinist. cap. 22. n. 5. Viguerius in Institut. Theol. cap. 16. §. 4. v. 32. Costerius in Enchiridio cap. 16. p. 424. Rutlandus in Loc. Comm. tit. 12. pag. 336. addatur Antoninus part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. Discipulus de temp. serm. 60. Dubitant tamen ac disceptant, quomodo pœnæ purgatorii majores sint hujus vitæ pœnis. Thomas 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 2. docet, pœnam damni in purgatorio esse maximam pœnarum, tamquam in purgatorio, quamquam in hac vita reperiri possint. Et minimam pœnam vel scintillam purgatorii esse majorem maximam pœnam hujus vitæ. Idem statuunt Sebastianus Vischerus in System. Theolog. lib. 7. cap. 2. f. 416. Balduinus Junius in Manuali Theologico lib. 21. cap. 2. dogm. 13. ArchAngelus Rubeus in Opere Sacramentorum dist. 21. Gregorius de Valent. lib. de purgat. &c. Theodorus Peltanus de purgat. cap. 12. ubi contraria sententiæ argumenta refellit. Sed Bonaventura in 4. sent. dist. 20. art. 1. q. 2. statuit, pœnam damni in purgatorio non esse majorem omni pœnam sive purgatorii, sive hujus vitæ; ac purgatorii pœnas esse majores pœnis hujus vitæ solum in hoc sensu, quia maxima pœna purgatorii est major, quam sit maxima pœna hujus vitæ, licet aliqua pœna purgatorii reperiatur minor aliquam pœnam hujus vitæ. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 14. magis probat sententiam Bonaventuræ, quam Thomæ. Idem placet Stapletono,



no part. 2. Prompt. Cathol. p. 286. Lorichio in voce Purgatorium, num. 9. Conf. plura in hanc rem in Bellarmino Orthod. teste p. 358. seqq.

13. De apparitione animarum in purgatorio existentium. Primo, quidam negant, *ullas animas defunctorum apparere viventibus*, & asserunt, *apparitiones illas esse Daemonum, fingentium, se esse animas de purgatorio exente*s & suffragia postulantes, ut referunt Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. quæst. 2. conclus. 4 & Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 8. Alii verò *apparitiones animarum* acriter propugnant, ut Peltanus capit. 4. de Purgatorio pag. 226. Secundò quidam ex seitoribus Thomæ generatim docent, *animas à corporibus separatas non habere vim movendi se localiter, ac proinde vel ab Angelo, si bona sunt; vel à Daemonibus, si mala sunt, ad diversa loca deportari*. Alii verò tradunt, *animas rationalem extra corpus posse se mouere localiter, licet in corpore non possit*. Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. q. 2. pag. 153. Peltanus cap. 2. de purgat. p. 196. Tertiò, in utramque partem, disputant de hac quæstione. *Num anima separata à corpore possit naturali suā virtute res corporeas mouere, januas aperire, commovere scama, excitare strepitum, turbare dormientes?* Negativam tenet Thomas part. 1. quæst. 110. artic. 3. ad 3. & quæst. 117. artic. 4. quâ negativâ *spectas reddi omnes apparitiones & terrores, qui putantur ab animabus fieri*, ait Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. quæst. 2. §. 18. Affirmativa placet plerisque aliis Pontificiis, quâ tamen *infirmum reddi argumentum, quo plerique patant, se efficaciter probasse, Angelos in rerum Natura existere*, scribit iterum Becanus d. l. qui propterea rem in dubio relinquit, & tandem ita concludit §. 7. *Eligat lector, quam velit, partem.*

14. De liberatione animarum ex purgatorio. Primo, *animas sanctorum defunctorum cum Christo regnantes orare pro animabus in purgatorio laborantibus, ut eō citius ex eo liberentur*, negat Dominicus à Soto lib. 4. sent. dist. 45. quæst. 3. art. 2. Contrarium statuunt Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 15. Viguerius in Institut. Theolog. cap. 16. §. 4. v. 33. pag. 507. Secundò, *ex purgatorio animas liberari posse, ex inferno non posse, communis*



munis ferè omnium est sententia. Sed in Missæ sacrificio pro defunctis hoc modo orant: *Domine libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundis lacu libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* ( In quibus verbis dextrè explicandis plurimum laborant Bellarmius & Salmero , nec tamen sibiipsis satisfaciunt.) Damascenus in orat. pro mortuis dicit, orationibus *Tecle liberatam de inferno animam cuiusdam Falconilla fæmine pagane, & orationibus Gregorii Papa animam Trajani Imperatoris*, quam Historiam defendit Andradius Payva, ut & Salmero tom.14. Disp. 27. p.236. Bellarmius lib. 2. de Purgat. cap. 8. dubius est. Sed quia hoc statuere perquam durum, ideo Bellarmius tandem propendet in Cani & aliorum sententiam, quæ hanc Historiam rejicit ut confitam, quâ ratione apertis tibiis contradicit Andradio, Alphonso Salmeroni, Ciaconio & aliis Pontificiis. Tertiò, inter remedia, quibus animæ in purgatorio æstuantes juventur, referunt *Indulgentias Pontificis*. Sed quomodo illæ animabus defunctorum applicentur, de eo non convenientiunt. Quidam existimant, Papæ jurisdictionem extenderet se in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio per modum absolutionis eas communicare possit. Illorum dicta citata sunt superiùs membro 14. Quidam vero statuunt, jurisdictionem Papæ non extendere se in purgatorium; ideoq; *Indulgentias defunctis concedi non per modum absolutionis sed per modum suffragii*. Bellarm.lib.1. de Indulg.c.14. & lib. 2. de Purgatorio cap.16. Förnerus de Jubilæo p.207. Ex illo porrò sequitur, quod quidam statuunt, Papam, si vellet, posse eorum purgatorium evanescere. (dicta citata sunt superiùs membro 14.) Sed Antoninus part. 8. tit. 22. cap. 5 §. 6. dubius est. Quartò, si queratur, ubi modus ille suffragii, per quem indulgentia Papales defunctis prosunt, sit fundatus? quidam, recurrent ad Scripturas male detortas, quidam ad Patres, quidam ad Romanæ Ecclesiæ autoritatem. Quintò, dissentient etiam de suffragis particularibus. Cajetanus tom. Opusculorum tradat. 16. quæst. 5. docet, omnes quidem animas juvari posse, & juvari etiam communibus suffragiis. At particularibus, quæ pro illis sunt, non juvari nisi illas, quæ particulariter meruerunt, ut sibi talia presentent.



desent. Dicit autem, eas pecunialiter mereri, qua hinc in terris habuerunt specialem devotionem ad claves Ecclesia, & solicii fuerunt pro animabus aliorum. Sed Praepositivus Presbyter Leodiensis in compend. Theolog. & alii, quos citat Thomas in 4. sent. dist. 45. quæst. 2. artic. 4. dicunt, suffragia, qua sunt pro uno, non ei solum prodebet, verum etiam omnibus aliis, nec minus omnibus aliis &c. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 18. sententiam communem dicit esse in medio, quod nimis suffragia particularia omni & soli illi prosint in ratione satisfactionis pro quo sunt. Sexto, discrepant invicem, an suffragia praestita ab iis, qui sunt in peccato mortali, prosint defunctis? Quidam affirmantem, quidam negantem amplectuntur sententiam. Septimo communiter negant, pœnitentiam locum habere post hanc vitam. Item Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 1. §. Ad quartum. Gregorius de Valent. de purgat. cap. 1. pag. 272. Sed Conradus Clingius lib. 4. Locor. Comm. cap. 49. pag. 453. ex hac ipsa hypothesi purgatorium probare conatur. Si post hanc vitam, inquit, nulla pœnitentia esset, nullaq; remissio peccatorum, haberemus de salute penè desperare, cum quotidie graviter peccemus & commensurata pœnitentiam non agamus. Et Deus hic praterit condignam castigationem. Quare credamus Ecclesia &c. (dari scil. purgatorium & pœnitentiam ac remissionem peccatorum post hanc vitam.) Quinimò Bellarminus ipse lib. 1. de purgat. cap. 14. §. Est ergo, non planè iniciatur. scribit enim, post hanc quidem vitam non esse pœnitentiam de mortalibus, tamen in animabus purgatorii bene esse posse displicantiam peccati, eamq; ex caritate & proinde utilem. (At quid aliud est displicantia peccati utilis, quam vera pœnitentia?) Idem statuit Pelanus cap. 11. de purgat. pag. 388.

Exceptiones Adversariorum. Illustris locus contra purgatorium extat Apoc. 14. v. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo; profectò dicit Spiritus, ne requiescant à laboribus suis. Contra eum excipiunt tripliciter, 1. Non significari à morte, uniuscujusque, sed ab extremo iudicio. Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 8. Costerus in Enchirid. cap. 16. Resp. 1. Ex Ribera in h. l. Aretas ita verba ordinat, ut Spiritus eos, qui tunc vivent & certabunt, consoletur. at semper beati sunt, qui in Domino moriuntur.

T t 2

A modo



*An modo igitur significat à tempore mortis, ut exponunt Augustinus, Haymo, Beda ex Psal. 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. (Potuisset addere non solum Andream Cæsariensem, & Ambrosium, sed etiam Richardum de S. Victore, qui sic exponit, à modo, id est, ab ipsa morte.) 2. Ex Blasio Viega in h. l. Sanctus David sic cecinit Psal. 4. In pace dormiam & requiescam. Et sanctus Simeon Luc. 2. Nunc dimittis servum tuum in pace. De Lazaro quoque legimus. Amicus meus Lazarus dormit. Et de B. Stephano Act. 7. obdormivit in Domino &c. Ergo à modo, seu deinceps est à tempore mortis, ut communis docet expositio. Conf. 3. Peltanus, cap. II. de purgat. pag. 393. ac 4. Gregorius de Valentia, lib. de purgat. cap. 8. p. 285. 5. Bellarminus ipse explicationi suæ non multum confidit, addit enim: Itaque si id minus aliqui probetur, respondere possumus cum Richardo de S. Victore & Haymone &c. 6. Jacobus Tirinus Jesuita ad illum locum. *An modo, id est, ex nunc, iam, non expectando diem extremi iudicij, vel generalis resurrectionis.**

Exceptio 2. Loqui S. Iohannem de viris perfectis, ac praesertim de sanctis Martyribus, eos enim in illo loco consolari voluit, qui simpliciter moriuntur in Domino, neque aliquid purgandum secum ferunt, nam qui discedunt cum peccatis venialibus, non simpliciter moriuntur in Domino. Resp. 1. Ex Viega in h. l. §. 2. n. 1. Quiradam recentiores in Commentariis hujus loci existimant, hic sermonem esse de Martyribus, & idem esse in Domino & propter Dominum mori. Verum verior videtur communis sententia, qua hunc locum non ad Martyres tantum referit, sed ad Sanctos universos. Eam enim tradunt Beda, Andreas Cæsariensis, Primasius, Pannonius, Joachimus Abbas, Ansbertus, Haymo, & Richardus de S. Victore. Sic etiam eam intellexit Bernhardus Epist. 98. Non putemus, inquit, solos Martyres esse dilector, cum recolamus dictum: Beati in Domino morientes, non solum pro Domino Martyres, sed in Domino Confessores beati. Idem statuunt Ribera in h. l. Lotinus in cap. 7. Act. super verba. Obdormivit in Domino. Jacobus Tirinus ad h. l.

Exceptio 3. Sensum esse ut requiescent à laboribus hujus vite. Remenses in h. l. Requies est dulcissima, carere verme conscientie, tales sunt, qui sunt in purgatorio. Salmero in 1. Cor. 15 Disp. 26. Conf.



Conf. Tirinus in h.l. Resp. Communis est Pontificiorum hypothesis, ignem purgatorii sola duratione ab infernali igne differre. (Quomodo igitur beatitudo & requies a laboribus sudantibus in purgatorio tribui poterit? Ribera in h.l. Beatum esse, est perfectam beatitudinem percipere. Similia habet Viegä in h.l.

2. Contra purgatorium urgemos etiam locum Eccles. 9. v. 6. Mortui non habent ultramercedem, nec partem in hoc seculo in opere, quod sub Sole geritur; & ex eo probamus, mortuos non posse juvari vivorum suffragiis. Excipit Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 15. sermonem esse de bonis hujus vita; quod mortui non sciant, quid agatur de rebus, quas hic reliquerunt. Resp. Latina versio quæ per Concil. Trid. Pontificiis est authentica, notanter dicit, quod non habeant partem in hoc seculo in opere, quod sub Sole geritur. Ergo non est communicatio operum & suffragiorum inter viventes & defunctos.

3. Contra purgatorium urgemos etiam hoc argumentum. Si anima in purgatorio astuantes per temporarii cuiusdam ignis ponam divina justitia pro peccatis satisfacere possunt, utiq. justitia divina congruit, ut anima damnatorum, que in inferno torquentur, per penas diuturniores & graviores divina justitia satisfaciant, & ex inferno tandem liberentur: Consequens Scripturis est adversum. Ergo & antecedens. Excipiunt Pontificii, esse rationem disparem. Constitutos enim in inferno esse extra statum gratiae, constitutos in purgatorio esse in statu gratiae, illos igitur satu facere non posse, hos vero posse. Resp. Bellarminus & alii Pontificii ex Matth. 5. & Lu. 12. docent, ab animabus in purgatorio sudantibus tam severè ac rigide integri ac universi debiti persolutionem exigunt, ut non parat illis expurgatorii carcere exitus, nisi ultimum quadrantem persolverint. At ubi tam rigidè ac severè integri debiti solutio exiguntur, ibi non dominatur indulgens gratia, sed puniens justitia.

4. Contra argumentum ex promissione Christi, converso latroni facta Luc. 23 v. 43. petitum. Quidam excipiunt, verba sic distinguenda esse, Amen dico tibi hodie, mecum eris in Paradyso. Atqui 1. pugnat hoc contra omnium Græcorum, Latinorumq; exemplarium distinctionem. 2. Maldonatus in Matth. 27. v. 44, hanc responsum habet pro insipida ac enerua. 3. Bel-

Tt 3. larmi.



larm. lib. i. de beat. sanct. c. 3. eam irridet, *Hec expositio inquit, est prorsus ridicula &c.* Confer dicta superius membro 10.

Argum. Advers. I. ex Vet. Testamento. 1. Genes. 3. v. ult. Deus collocavit ante Paradisum Cherubim & flammrum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vita. Per illum præfiguratum est purgatorium. Peterius lib. 6. in Genes. §. 202. Gregor. de Valent. tom. i. in Thom. Disput. 6. punc. 1. col. 1528. Panigarolla lect. 12. Vigor. serm. 2. de Purgatorio. Fevardentius in Theomach. &c. Resp. 1. Glossa ordinaria in h. l. sic commentatur: *Flammeus gladius sunt tribulationes & dolores & labores hujus vita, quibus nos exercemur, vel sententia justa damnationis, quæ homini est data.* Similia habet Hugo de S. Victore in h. l. (Allegoria de igne purgatorio non convenit textui, siquidem flammeus ille gladius erat positus ad custodiendam viam ligni vita, sive ut Dionysius Carthusianus loquitur, *ad hoc, ut iter ad Paradisum faceret omni homini inaccessibile.* Inde in Historia Scholastica dicitur, *ministerio Angelorum positiū fuisse ignem, qui intercluderet Paradisi ingressum.* At purgatorium fingitur constitutum, ut præparet homines ad ingressum cœlestis gloriarum.) 3. Augustinus Steuchus in cap. 3 Genes. fol. 88. Describitur gladius absolutus, quod videlicet tum esset ritidus, rutilans, scintillans; tum anceps. Quibus potius ab ipsa Theologia, quam à nobis declaratis, patet, *figmenta, meraq; animi arbitria, gladii m̄sse vel zonam torridam; vel ignem aliquem materialem.* 4. Dionys. Cartus. in h. l. Et collocavit Deus ante Paradisum Cherubim & flammrum gladium. i. e. Ecclesiam suam munivit Angelorum custodiā ac plenitudine sapientie salutaris, rigore quoque justitiae, ad custodiendam viam ligni vita, id est, ingressum & aditum ad Ecclesiasticam unitatem & Christi communionem, ad quas iniqui redire non valent, nisi per pœnitentiam veram. (Quod si ergo allegoria placet, cur non has potius, quam illam de igne purgatorio amplectuntur?) 5. Cornelius à Lapide in h. l. citatis variis expositionibus, inter quas & ea est, quæ textum Mosaicum de igne undique Paradisum ambiente accipit, subjungit; *Dico, hæc omnia propriè, ut sonant, accipienda esse, quod Angeli ex ordine Cherubim positi sint ante Paradisum &c.* Idem statuit 6. Jacobus Tirinus

ad



ad h. l. 7. Si urgere velint, Ambrosium & Rupertum per hunc flammoeum gladium intelligere ignem purgatorii. Resp: ex Thoma & aliis lib. 2. artic. 1. cap. 3. thes. 4. citatis, Theologiam Symbolicam non esse argumentariuam. Urgemus & illud, quod Cornelius à Lapide d. 1. subjungit. Ambrosius, Origenes, Lactantius, Basilius, Rupertus, ex hoc loco putant, ante calum positum esse ignem, quem omnes animæ etiam S. Petri & Pauli post mortem transi e debant, ut eo examinentur, & si puræ reperiantur, ut per eum purgentur. (At huic igni non convenit descriptio purgatorii Papistici.)

Argum. 2. Genes. 15. v. 17. Cum Sol occubuerit, facta est caligotenebrosa, & apparuit clibanus fumans & lampas ignis transiens inter divisiones illas. Per illum clibanum fumantem, ignemque transientem prefiguratum est purgatorium. Fevardentius lib. 1. Theomachiæ cap. 10. n. 16. Resp. Glossa Ordin. cap. 15. Genes. Nonnunc primò ignis visus est, cum foedus inter Deum & Abram pangeretur: Lex quoque per Mosen interventu ignis promulgata est. Cum enim lex in medio ignis lata proponat piis premia, transgressoribus statuat poenas, meritò accessit ignis, ut portenderet impiorum conflagrationem; piis illuminationem præberet. (At qui nec illuminatio piorum, nec conflagratio impiorum ad ignem purgatorium referri potest.) 2. Pererius in allegorica hujus loci explicatione in c. 15. Gén. Disp. 5. n. 67. nullam purgatorii facit mentionem. 3. Cornelius à Lapide in h. l. Allegoricè hac facula transiens significabat, gloriam Dei fidei & gratia à Iudeis transituram ad gentes. Ita Rupertus. Analogicè hac facula significat diem iudicij & ignem conflagrationis mundi, qui dirimet electos & reprobos. Is. Augustinus lib. 16. Civ. cap. 24.

Argum. 3. Genes. 24. v. 63. Isaac egressus in agrum, ut oraret. Ergo pro salute matris ex purgatorio liberanda oravit. Fevardentius lib. 1. Theomachi cap. 10. num. 18. Resp. 1. Cajetanus statuit, Isaacum ad confabulandum cum operariis processisse. 2. Pagninus vocem ΗΙΥ ex Rabbi David explicat per deambulare. 3. Pererius fusissime hunc locum enarrans, nullam facit purgatorii mentionem. 4. Franciscus Georgius sect. 3. Problem. 109. Cur Isaac suscepturus uxorem suam Rebensem oravit? Nanne id haec debuit?



debuit in negotio tam arduo, quam est indissolubile vinculum matrimonii? Sc. 5. Jacobus Tirinus ad illum locum. Chaldeus ad orandum; Gracchus, ad se exercendum, scil. spirituali exercitio orationis, agendo & colloquendo cum Deo de rebus tum naturalibus & terrenis, tum supernaturalibus, coelestibus & divinis. Ita S. Ambrosius. Augustinus, Hebrei, Lyranus & Tostatus.

Argum. 4. Genes. 47. v. 29. & cap. 50. v. 25. Patriarchae desiderabant sepeliri in terra promissionis, ut essent particeps precium & sacrificiorum, que inibi offerebantur. Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 3. Peltanus de Purgator. cap. 8 p. 315. Resp. 1. Patriarchae ex hypothesi Pontificiorum non devenerunt in purgatorium, sed in limbum. 2. Petrus Comestor, Autor Historiae Ecclesiasticae in Genes. 47. Cura fuit Sanctis sepeliri in terra, quâ sciebant Christum resurrectum, ut cum eo resurgerent. Similia habet 3. Lyranus in cap. 47. Genes. 4. Pererius in cap. 47. Genes. num. 21. & in cap. 50. Genes. n. 180. ac Titinus ad d. l. v. 30. varias causas hujus desiderii Patriarchalis recensent. suffragiorum autem pro defunctis, ex purgatorio liberandis, hoc loco non meminerunt.

Argum. 5. 1. Sam. 2. v. 6. Dominus deducit ad inferos & reducit. De inferno autem damnatorum non datur reductio. Ergo intelligitur purgatorium. Rutlandus in Locis Comm. tit. 12. p. 300. Peltanus cap. 7. de purgat. p. 309. Resp. 1. Glosa, ord. in h. l. accipit de redēctione ex inferno per Christum nobis parta, & per fidem applicata. Deducit ad inferos Iudeos obstinatos, dimittendo eos deduci; & reducit gentiles, ab Idolatria, per quam dignierant inferni poenam, revocando. 2. Lyranus in Comment. accipit de liberatione ex morbis lethalibus. 3. Cajetanus in Comment. de liberatione ex carcere accipit. 4. Gregorius lib. 2. expos. in l. Regum exponit de liberatione ex terroribus inferni in hac vita, quæ expositio est textui & aliis Scripturæ locis maximè conformis. 5. Huic expositioni conforme est, quod Sanctius in h. l. statuit, per infernum hic denotari non locum infernalem, sed statum miserum & abjectum. Idem sentit 6. Hugo Cardin. in h. l. 7. Bulengerus contra Plessium lib. 3. de Euch. c. 6. hunc locum accenset iis, quos negat satis firmos esse ad probandum purgatorium,



rium. Bellarm. eum prorsus omisit. 8. Dionysius Carrthusianus in h. l. Reducit mortuos suscitando, vel eos, qui lethaliter infirmitur, curando. Tales enim erant quasi in via ad inferos 9. Emanuel Sa in h. l. Ad inferos, id est, sepulchrum. Repetitio praecedentium. 10. Jacobus Tirinus in h. l. Inferi vel propriè sumuntur; vel pro extrema miseria & calamitate, quam morti vel inferis opinione vulgi comparari solet.

Argum. 6. 1. Sam. 25. v. 29. *Anima Davidis ligata in fasciculo viventium, i.e. purgatorio.* Fevardent. lib. II. Theom. cap. 13. n. 6. Resp. 1. Galatinus lib. 6. de arcan. Cath. verit. cap. 9. Pagninus in voce נֶצֶר non de purgatorio, sed de limbo expounit. 2. Lyra in h. l. sic commentatur. *Animatua à Deo proteguntur contra omnes insidias malorum.* Dicunt hic aliqui, quod loquuntur metaphorice, quoniam sicut ramusculi alibi transplantandi vel in serendi in fasciculo ligantur &c. sic justi in praesenti vita conservantur in humore gratiae, ut transplantentur in terra viventium per adoptionem gloriae. 3. Sanctius ad h. l. Sensus ergo est, quod Deus Davidem ab omni via que hostili machinatione prestitus sit in columem. Eodem modo explicat Tirin.

Argum. 7. 1. Sam. 31. v. ult. incole Gabes, Gilead & David cum suis planxerunt & jejunaverunt septem diebus super Saul & super Jonathan & super populum Dei, quod corruissent gladio. Confer 2. Samuel. I v. 18. 1. Paral. 10. v. 12. Ergo simul obsecrarent Deum pro animabus eorum ex purgatorio liberandis. Bellarmino lib. 1. de purgat. cap. 3. Cösterus in Enchirid. cap. 16. Propos. 7. Viguerius in Instit. cap. 16. §. 4. v. 28 Sanctius in Comm. illius loci. Resp. 1. Ex Bellarmino lib. 2. de purgat. cap. 6. resp. ad 3. Cum inter filios Saulis esset etiam Jonathan justus, non erant descensuri ad eundem locum Saul & Jonathan. (At si hoc jejunium ad animas eorum juvandas suscepimus suislet, utiq; in uno eodemque loco & statu, videlicet in purgatorio, ipsos constitutos fuisse opportuisset.) 2. Idem Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 11. §. 1. animam Jacobi Patriarcha in limbum, non in purgatorium collocavit, de quo Genes. 50. v. 3. & 10. dicitur, quod filii eius & Agyptii septem diebus ipsum planxerint & septuaginta diebus defluerint. (At si ex jejunio septem dierum à civibus Gileaditicis post-



mortem Saulis ac Jonathanis suscep<sup>t</sup>o colligi posset, animas eorum in purgatorium descendisse, utique ex planctu totidem dierum & fletu 70. dierum post Jacobi mortem a filiis Israël & Aegyptiis suscep<sup>t</sup>o colligi posset, ipsius animam in purgatorium suis delatam.) 3. Hugo Cardinalis in h.l. super verba, jejunaverunt septem diebus Ecclesiastici 22. Luctus mortui septem dies, fatui autem & impio omnes dies vita illorum. 4. Peltanus cap. 8. de purgat. pag. 329. scribit, non esse orandum pro iis, qui scientes volentesq; mortem sibi conciverint. (Talis vero fuit Saul, de quo Scriptura dicit, quod mortuus fuerit in peccatis suis 1. Paral. 11. v. 13. adeoque in infernum detrusus fuerit Joh. 8. v. 25. Ergo David non oravit pro ipso, nec Giliaditæ pro ejus liberatione ex purgatorio jejunarunt.) 5. Lyranus in Comm. dicit, Gileadas jejunasse in signum tristitie pro morte Saul & filiorum ejus. Similia habent 6. Tostatus in h.l. quæst. 19. ac 7. Eman. sa inh 1.

Argum. 8. Psal. 6. v. 1. Psalm. 38. v. 1. orat David. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque iniira tua corripias me. Per furorem, qua brevis est animæ passio, pena purgatorii, & periram, quæ diu insidet, inferorum tormenta designantur. Bellarmin. lib. 1. de purgat. cap. 3. Schoppius in Comment. de Indulgent. cap. 45. fol. 34. Fevardent. lib. ii. Theomach. cap. 16. num. 1. Resp. 1. Non consentiunt in applicatione hujus dicti ad purgatorium: Fevardentius furorem exponit de purgatorio: iram de inferno. Sed Bellarminus & Schoppius contrà furorem, de inferno & iram de purgatorio interpretantur. 2. Lyranus, Lombardus, Lorinus, Bellarmiuus, Cajetanus, Eugubinus, Folengius, Genebrardus, Arias Montan. & Jansenius in psal. 6. eram ac furorem pro verbis unam eandemque rem significantibus accipiunt. sensu eo, quod David preceatur, ne Dominus ipsum puniat secundum rigorem justitiae, sed magis secundum dulorem sua misericordie. (Stante hac hypothesi, non potest purgatorium ex h.l. probari.) 3. Repugnat etiam hæc explicatio hypothesisibus Papistarum. Psaltes enim aquæ deprecatur furorem ac iram. Per furorem igitur non possunt intelligi penæ purgatorii, quippe quas ex hypothesi Pontificiorum Deus non potest condonare salvâ suâ justitiâ. 4. Gregorius Magnus in psal. 6. His



me potius argue, dum tempus est misericordiae, corripe; dum dies salutis est, exerce. *Quisquis in hac vita flagellis atteritur, in mansuetudine corripitur, quia correptionibus emendatur.* In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur, quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur. 5. Bellarminus lib. i. de purgat. cap. 13. resp. ad 8. Post hanc vitam non erit locus, ubi flagitijs convertantur & mores suos corrigan. (Ergo post hanc vitam non amplius locum habebit castigatio illa paterna ad correctionem & emendationem, de qua Psaltes loquitur.) 6. Idem Bellarminus lib. i. de Purgat. cap. 3 dicit, *hac verba varie exponi posse.* (Ergo ad fulciedum purgatorium parum roboris habebunt, quia dogmata fidei ex claris & perspicuis Scripturæ dictis probari oportet.)

Argum. 9. Psal. 39. v. 12. *Si reprehensionibus pro iniquitate castigas quempiam, liquefcere facies, ut tineam, desiderium ejus.* Hoc sit in purgatorio. Resp. 1. Nec Lyranus, nec Cajetanus, nec Eugubinus, nec Folengius, nec Genebrardus, nec Jansenius, nec Bellarminus, nec Tirinus in Comment. h. l. ullam purgatorii mentionem faciunt, sed de *castigatione in hac vita* locum exponunt. 2. Origenes solus ex veteribus ad purgatorium hunc locum accommodat, sed ostendimus lib. i. part. 2. cap. 13. Pontificios Origenis autoritatem repudiare. 3. Origenis purgatorium *benos & malos*, adeoque omnes homines suscipit, quod Bellarminus lib. 2. de purgator. cap. 1. numerat inter errores.

Argum. 10. Psal. 49. v. 16. *Deus redimet animam, de manu inferni.* Fevarden t. lib. ii. Theomach. cap. 16. n 3. Eisengrein in der dritten Leichpredigt / fol. 39. Resp. 1. Pagninus in voce לִנְשׁ de manu inferni, aut potius sepulchri, quia scil. non consumetur consumo corpore, sed jungetur superioribus. 2. Bellarmin. in Comment. h. l. accipit de limbo Patrum. Ita enim ipse: *Videtur hoc loco pradicere redemtionem, qua est in Christo Jesu, & descensum ejusdem Christi ad inferos &c.* Sic veteres Patres, Basilus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus & Euthymius. Eandem explicationem amplectitur. 3. Aignanus in h. l. ac 4. Franciscus de puteo in Catena. (Atqui limbus Patrum est à purgatorio distinctus.)



sticus.) 5. Dionys. Carthusianus in h. l. accipit de redempt. ab inferno. Similiter 6. Cornelius Jansenius ac 7. Lorinus in h. l.  
 Argum. II. Psal. 66. v. 12. *Transivimus per aquam & ignem,*  
*& eduxisti nos in refrigerium. Ergo datur purgatorium.* Fischerus  
 Roffensis Episcopus art. 37. contra Lutherum. Bellarm. lib. I. de  
 purgat. cap. 2. Lorichius in voce Purgatorium. n. 3. Vigor.  
 in probatione Purgatoriorum. n. 2. Resp. 1. Glossa ordinari. accipit  
 de Martyriis Confessorum. Lyranus in Comm. hunc loc. ac-  
 commodat ad servitutem *Egyptiacam Israelitarum.* Cajetanus  
 & Genebrardus ad tribulationes, quas tum in *Egypto, tum in*  
*deserto ante ingressum in terram Canaan populus Israeliticus susti-*  
*nuit.* Blasius de Viega in capit. 10. Apocal. pag. 418. approbat  
 expositionem Bernhardi. *Transiit per ignem & aquam, quem*  
*non tristia frangere, nec detinere possit apuerunt.* Ribera in  
 Com. Zach. 13. n. 17. Genebrardus in h. l. Emanuel Sa in h. l. He-  
 ctor Pintus in Comm. Es. 43. Cornel. Jansen. in h. l. sequuntur  
 simplicissimam & textui accommodatissimam interpretationem, quâ per ignem & aquam metaphorâ loquendi consue-  
 tudine *omnis generis adversitates intelliguntur, quib.* David &  
 omnes pii in hac vita fuere subjecti. Similiter Aignanus in h. l.  
 2. Estius in Com. I. Cor. 3. agnoscit, ex hoc loco minus commode pro-  
 bari purgatorium. 3. Bellarm. sequitur Originem & Ambrosium,  
 qui ad ignem purgatorium hunc locum accommodant. (At quâ  
 fronte illorum autoritatem nobis in hac questione opponit,  
 quorum sententiam, quod sc. omnes tam boni quam mali post hanc  
 vitam igne illo purgari debeant, inter errores recenlet lib. 2. de  
 purgat. cap. 1.?) Quinimò idem Bellarmin. in Comm. Palm.  
 66. exponit de variis calamitatibus hujus vita. 4. Johannes Fi-  
 scherus Episc. Roffensis hunc locum deserit, sic scribens art.  
 37. *Quod alio sic nugantur, (purgatorium scil. ex hoc loco eli-  
 ciendo) ego non probbo.* 5. Bellarminus concedit, *locum hunc*  
*posse habere viarios sensus.* (At dogma fidei controversum non  
 potest certo probari per dictum variis & consequenter incerti  
 sensus.) 6. Si ita purgatorio est *aqua & ignis*, juxta hujus loci hy-  
 pothesin, quomodo dictum Propheticum de lacu, in quo non est  
*aqua, ad purgatorium accommodari poterit?*

Arg. 21.



Arg. 12. Psal. 86. v. 1. *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in eternum.* v. 14. *Quia misericordia tua magna est super me. Et eruisti animam meam ex inferno inferiore.* Fevardentius in Theomach. hunc locum ac. commodat ad purgatorium, quod vocari putat *infernum inferiorem vel ratione limbi patrum, vel respectu istius terrarum orbis.* Resp. 1. Dionysius Carthus. in h.l. ad limb. applicat. Dionysium sequitur Tirinus. 2. Lorinus in h.l. sic commentatur. *Augustinus hoc loco explanat solum infernum inferiorem de loco damnatorum, vel illo, in quem Christus descendit, qui erat limbus justorum, non autem de purgatorio, quod eidem auctori, atque Cassiodoro et Brunoni Carthusiano Fevardentius tribuit, qui nihil aliud, quam Augustinus docent.* Nec nullum legi, qui probet hoc testimonio purgatorium. (Sic ergo Lorinus Fevardentium subleste accusat fidei.) 3 Bellarminus in h.l. itemque lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 16. resp. ad 3. testim. accipit de liberacione ab inferno, non quasi in illum Propheta incideret, sed quia periculum erat, nisi gratia Dei illud evasisset. Similiter 4. Emanuel Sain in h.l. ac 5. Lyranus.

Argum. 13. Psal. 107. v. 14. *Reduxit eos de tenebris et umbrâ mortis, hoc est, ex purgatorio.* Eisengrein in der 3. Leichpredigt. fol. 40. Respond. 1. Lyranus interpretatur de mortis periculo. Cajetanus in hunc Psalmum de malis carceris. 3. Lorinus in h. l. expavit de calamitatibus hujus vitæ.

Argumentum 14. Eccles. 4. v. 14. *De carcere interdum quis egreditur ad regnum, id est, de purgatorio ad celum.* Clingius lib. 4. Locor. Comment. cap. 49. pag. 452. Resp. 1. Lyranus ac 2. Dionysius Carthusianus Josephi exemplo hunc locum illustrans, purgatorium in eo non querunt. 3. Pineda in Comm. h. l. eandem expositionem amplectitur. 4. Qui allegorias sectantur reserunt ad Christum, ex carcere sepulchri ad regnum Patris exaltatum. Hugo Cardiu. in h.l.

Argum. 15. Esai. 4. v. 3. *Abluet Dominus sordes filiarum Sions et sanguinem Jerusalem lavabit in Spiritu judicij et Spiritu ardoris.* Per filias Sion intelliguntur anime; per sordes et sanguinem peccata, peccata que debita poena, à quibus lavantur anime in



purgatorio. Bellarminus libr. 1. de purgat. cap.3. Alphonsus de Castro libr. 12. advers. hæreses in voce Purgatorium. pag. 249. Fevardentius, Thyræus, Costerus, Vigor, Pel- tanus & alii. Resp. 1. Glossa ordinar. accipit de tribulatione. 2. Glossa Interlin. Laverit, per pœnitentiam, unde Lavamini, mundi estote: in Spiritu iudicij, leviora: & Spiritu ardoris, gra- viora. Ardoris, ferventis caritatis, quæ sanguinem fudit. 3. Hugo Cardinal. exponit de Spiritu sancto. 4. Lyranus in Comment. sic exponit: Abluet sordem filiarum Sion, id est, Ecclesiam Spiritu iudicij, quia Christus per viam justitiae pro nobis satisfecit, & Spi- ritu ardoris, quia hoc ex maxima caritate fecit. 5. Bellarminus fatetur, Patres in expositione hujus loci variare, Augustinum ad purgatorium cum applicare. (Atqui Augustinus non ad purga- torium, sed ad ignem extremi iudicij hunc locum applicat. Jam verò purgatorium ex hypothesi Pontificiorum in die iudi- ci extinguetur.) 6. Propheta non loquitur de peccatis venia- libus, sed moralibus, quæ sanguinum nomine juxta usitatam, Scripturæ phrasin denotat. (Jam verò ex hypothesi Pontifi- ciorum venialia tantum, non autem mortalia peccata in purgato- rio abluntur.) 7. Cornelius à Lapide in h. l. genuinum sensum dicit hunc esse: Spiritus sanctus est Spiritus iudicij, quia facit primò, ut nostra videamus, judicemus & damnemus peccata. Se- condò, quia judicat, id est, discernit fidem ab infideli, pium ab im- pio. Tertio, quia mentem illuminat per fidem, tribuens remissionem peccatorum, faciensq; ut pia, saecula, coelestia judicemus, id est, estimemus, discernamus & amplectamur prævanie, foedis & terre- stribus opibus & voluptatibus &c. 8. Ribera in Comment. Ma- lach. 3. pag. 797. eandem expositionem amplectitur. 9. San- chez & Sanctius accipiunt de captivitate Babylonica Israëli- rum. 10. Suarez tom. 4. Disput. 45. sec. 5. scribit, sensum Pro- pheta literalem aliam esse, (quam de purgatorio,) & se bunc lo- cum omittere. Eadem est sententia Estii in Comment. 1. Cor. 3. 11. Franc. Toletus in cap. 3. Luc. Hoc utrumque Baptisma (Chri- sti scil. in Spiritu sancto & igne, de quo Baptista loquebatur) prædixit Esaias cap. quarto. Si abluerit, inquit, Dominus &c. 12. E- manuel Sa in cap. 4. Esai. etsi vidit, atque adeò admonuit,

trans.



transferri hunc locum ab Augustino ad Purgatorium, tamen longè aliter exposuit. Sanguinem, id est, homicidias que per reliqua peccata intelliguntur; judicis scil. puniendo, vel in ipsis; vel in Christo, per cuius passionem justificamur, adjunctā tamen etiam nostrā cooperatione: ardoris, id est, caritatis & divina & nostre. ( At purgatorius ignis non habet adjunctam nostram cooperationem, nec est ignis caritatis divisa vel nostre ) Argum. 16. Esai. 9 v. 18. Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus, & involvetur uti fumus. Ergo datur purgatorium Bellarminus lib. 1. de Purg. cap. 3. Schoppius in Apologet. cap. 57. fol. 81. Resp. 1. Lyranus in Comment. sic exponit: Impietas populi provocat iram DEI contra se quasi ignem ardente, qui consumit vepres, id est, populum omnem. Similiter 2. Hector Pintus in Comm. 3. Hugo Cardinalis in h.l. Impii succendentur igne aeterno pro impietate sua. 4. Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 1. § ultimo. Purgatorium pro iis tantum est, qui cum venialibus culpis moriuntur. ( At talia non sunt ea, quæ ignis iste devorabit. Succensa est impietas ut vepres & spina, quibus nominibus venialiter peccantes nunquam nominantur. Unde Cornelius à Lapide & Sanctius agnoscunt, Propheta loqui de summa instar ignis grassante impietate & futura ejus ultione rigerosa. Eodem modo exponit Titrinus in Comment. 5. Propheta dicit, succensa est quasi ignis impietas. ( At purgatorius ignis ex hypothesi Bellarmini est verus & corporeus ignis ) 6. Propheta dicit v. 21. In hoc solo non est aversus furor ejus. Pontificii vero docent, per paenas purgatorii Deo satisficer, ut furor ejus avertatur.

Argum. 17. Dan. 7, v. 9. Fluvius igneus progrediebatur à facie ejus. Hunc locum ad purgatorium applicat Panigarolla lect. 12. Resp. 1. Lyranus ad h. l. sic annotat: Hic ponitur adventus Christi ad judicium venientis & regnum Antichristi conterentis. Et postea. Per fluvium igneum denotatur pena infernal is, trahens peccatores ad infernum. Egrediebatur à facie ejus, quia tollitur impius, ne videat faciem Dei. Similiter, nempe de sententiâ ultimi judicii, 2. Pererius ibid. 3. Cornelius à Lapide ad h.l. 4. Jacobus Titrinus in h. l. Fluvius igneus rapidus q. à facie & ore



*S*ore judicis quasi ex igneo fonte egrediens, sententia est, quam pronunciat, instar ignis efficacissima simul & celerrima, inquit S. Hieronymus: quam Apocal. 1. v. 16 gladium vocat ancipitem.

Argum. 18. Mich. 7. v. 8. *Ne lateris inimica mea super me. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec ipse causam meam judicet, et faciat judicium meum.* Hunc locum ad purgatorium accommodat Bellarminus lib. 1. de Purg. cap. 3. Fevardent. lib. 11. Theomachus cap. 22. Panigarolla lect. 12. Schoppius in Apologet. cap. 58. Peltanus cap. 7. de Purgat. p. 317. &c. Resp. 1. Lyranus, Glosa interlinearis, Hugo Cardinalis, Ribera, Cornel. à Lapide, Tirinus, accipiunt ut consolationem, quam pii Israëlitæ in captivitate Babylonica verâ fide amplecti debeant. 2. Benedictus Arias latè hunc locum explicat, purgatorii verò non meminit. 3. Schoppius ipse ait in Apologetico fol. 82. *Hic sensus (de purgatorio) est allegoricus, ac proinde argumentum non est firmum.*

Argum. 19. Zach. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emissisti vinculos tuos de lacu, in quo non est aqua. Nominis vincorum intelliguntur illi, qui erant in purgatorio.* Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 3. Salmero in 1. Cor. 15. Disp. 26. Costerus in Euhcir. cap. 16. pag. 492. Schoppius in Comment. de Indulg. cap. 45. fol. 34. Petrus Thyræus in Append. 2. libri de apparit. Spirituum. Bailius Jesuita in Catech. controv. tract. 2. q. 43. Resp. 1. Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 11. ex hoc loco *limbum Patrum* fulcire conatur. Grodicius concl. 2. in festo Paschatos itidem de limbo accipit. Idem faciunt Thomas p. 3. q. 52. art. 1. Ribera in cap. 9. Zach. pag. 722. Barradius tom. 3. Conc. Evang. lib. 4. cap. 5. Viguerius in Institut. cap. 16. §. 4. v. 30. Cornel. à Lapide in Comm. Zachar. 9. Jacobus Tirinus ibid. Beccanu in Disput. de Purgat. Calvinist. pag. 25. dubius est, an ad limbum Patrum, an ad purgatorium referri debeat, tom. 3 opusc. 10. cap. 2. num. 7. pag. 578. sic scribens: *Catholici aut limbum Patrum antiquorum, aut certè nostrum purgatorium intelligi putant.* (Conveniant ergo prius, an de limbo Patrum, an de purgatorio hunc locum intelligere velint: cum enim sint hæc duo receptacula distincta, ideo non possunt simul



mul de utrisque accipi.) 2. Salmero in 1. Cor. 15. Disp. 26. §. Vocatur: *Per lacum, in quo non est aqua, significatur locus, in quo non est consolatio.* (At Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 4. §. Tertiò, quia: *Anima in purgatorio habent admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem propter certam spem salutis.* Quemadmodum ergò Bailius & alii, qui negant, hunc locum de limbo Patrum agere, pro sua sententia tale formant argumentum. Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua. In limbo est aqua consolationis. Ergo non agit de limbo: ita contra eos, qui de purgatorio hunc locum accipiunt, eodem arguento uti possumus. Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua. In purgatorio est aqua consolationis. Ergo non agit de purgatorio.) 3. Bellarmin. lib. 2. de Purgat. c. 8. disputat, *animas ex purgatorio ad nos in terris adhuc viventes profici posse.* (Ergò non sunt vindictæ in purgatorio, Jam verò Prophetæ loquitur de vindictis.) 4. Si purgatorium est lacus sine aqua, cur ad illud applicant dictum Psalm. 66. v. 22. *Transivimus per aquam & ignem?* 5. Ribera in Comment. h. l. p. 725. accipit de liberatione ab inferno per Christum facta. 6. Eodem modo Glossa interlin. interpretatur. 7. Arias Montanus in cap. 9. Zachar. refert scopum Zachariæ ad liberationem populi Israëlitici ab omni sua captivitate, in primis quoque à servitute legis moralis. Excipiunt, fideles non posse dici ex inferno redemptos, cum in infernum non descenderint. Resp. Redimere dicitur etiam is, qui alium à captivitate præservat, ut ex Psalmis Davidicis constat. Conf. Bernhardus sermone 22. in Cant. Confer dicta superiùs in resp. ad 12. arg. membr. 3.

Arg. 20. Zachar. 13. v. 8. *Ducam tertiam partem per ignem & uram eos, sicut uritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum.* Hoc dictum loquitur de igne, quō purgantur peccatrices animæ, postquam è corporibus excecerint. Fevardent. lib. II. Theomachiaæ cap. 22. num. 6. Resp. 1. Glossa interlin. ex Hieronymo sic expouit: *Ne ista tertia pars sit delicata & secura, per ignem tribulationis probatur.* Similiter 2. Ribera in cap. 13. Zachar. p. 753. ac 3. Cornelius à Lapide in Comment. h. l. p. 346. 4. De igne afflictionum etiam accipit Tirinus in Comment.



Argum. 21. Malach. 3. v. 2. *Ipse erit quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, id est, animas credentium in purgatorio.* Alphonsus de Castro lib. 12. advers. hæreses, verbo, Purgatorium, hæresi 1. Bellarminus lib. 1. de Purgator. cap. 3. Viguerius in Institut. cap. 16. §. 4. vers. 28. Canisius in opere Catechet q. 9. de pœnit. pag. 309. Costerus in Enchir. cap. 16. p. 494. &c. Resp. 1. Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Arias Montanus, Ribera, ac Tirinus Comment. in h. l. exponunt de igne doctrina, Sacramentorum, virtutum & gratiarum, à Christo submittendarum. Item, de igne tribulationis & afflictionis, quo Martyres & electi excoquuntur. Propheta igitur non de pœna mortuorum, sed viventium in hoc dicto agitat, fatente Bellarmino. (At purgatorium est pœna mortuorum, non viventium, eod. docente. Ergo hic locus Propheticus non agit de purgatorio.) Franciscus Toletus in cap. 3. Luc. expponit Propheta verba de ultimo Christi ad judicium adventu. *Hoc ipsum, inquit, fecit Propheta Malachias; qui de ipsomet Iohanne prædictis: utrumque enim adventum conjunxit. Statim, inquit, veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis stabit ad videndum eum?* ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fulnum, & sedebit conflans & emundans argentum, & colabit filios Levi. Hec ille. Posteriora enim verba de posteriori adventu rectè interpretatus est Augustinus libri viceimi de Civitate Dei capite vicefimo quinto. Bellarm. ipse lib. de Purgat. c. 1. §. 1. Tria in Scriptur. inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum. Primo, Christus ipse. Secundo, tribulationes hujus vite, de quibus ad literam videtur intelligendus Malachias capite tertio. Et post recitatum hunc locum subjungit. Nam ut rectè exponit B. Hieronymus, hic agitur de tribulatione, qua præcedet diem judicii ad purganda peccata fidelium. Gerardus Vossius ad sermonem paræneticum Ephremi de secundo adventu Domini sic annotavit: *Verba sunt Propheta Malachia, cap. tertio, quibus extremi iudicii dies danneratur.* Estius hunc locum Propheticum refert inter eos, de quibus in 4. sentent, dist. 47. & Comment. in 1. Corinth. 3. scribit,



bit, quod cum Bellarmino, Lensao, Vico, aliisque istos ad purgatorum trahentibus non conveniat, nemini mirandum esse, quia nee ipsi inter se per omnia consentiant.

Arg. 22. Malach. 4. v. 1. Ecce dies veniet suceensa quasi carminis, & erunt omnes superbi & omnes sapientes in pietatem stipula, & inflamerabunt eos dies veniens, dicit Dominus. Ergo datur purgatorium. Fevard. lib. 11. Theomach. cap. 23. n. 2. Respond. 1. Lyranus, Tirinus, & Ribera in Comment. p. 802. non de purgatorio, sed de die postremi judicii exponunt. 2. Propheta agit de peccatis mortalibus & gravioribus, quia meminit superborum impiorum. At ex hypothesi Pontificiorum tantum venialia peccata in purgatorio abluntur. 3. Cornelius à Lapide in h. l. Dies hic est dies judicii extremi, bujus enim solius precursor erit Elias. Ita Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius & alii, uno excepto Aria, qui per diem accipit dicem, quo Christus & Christias nismus orbi illuxit.

Argum. 23. Tob. 4. v. 18. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue. Ergo oblationes vult fieri pro defunctis. Bellarminus libr. 1. de Purgatorio cap. 3. Viguerius in Instit. cap. 16. §. 4. v. 28. Costerus in Enchirid. cap. 1<sup>o</sup>. pag. 499. Tirinus in Commentar. h. l. & reliqui ferè omnes. Resp. 1. Hugo Cardinalis in h. l. sic scribit: Nota, quod non precipit fieri parentalia, quae prohibita sunt, sed ritum aliquem nobis ignotum innuit, vel forte ad consolationem parentum post sepulturam jubet fieri convivia, quod est opus misericordia. 2. Tobias dicit, panes esse fundendos, ut habet Græcus textus, super sepulchrum justorum. At justi sine venialibus peccatis & sine reatu peccati temporali ex hoc seculo discedentes, non veniunt in purgatorium, ac proinde non indigent orationibus vivorum, ex Pontificiorum hypothesi. 3. Bellarminus de hoc & similibus locis scribit lib. 1. de Purgat. cap. 3. quod probabilitate solū suadeant purgatorium. (Ergo de firmā probatione ex hoc loco petenda desperat.) 4. Librum Tobiæ Apocryphum esse, agnoscunt quidam, ex ipsis Pontificiis, ut ostendimus lib. 2. artic. 1. cap. 1. sect. 2. thes. 4. 5. Tirinus in h. l. agnoscit, consuetudinem apponendi epulas ipsi sepulchro &c. jure merito ab Ambroso e templis & cœmis-



terii sublatam esse, cuius exemplum S. Augustinus & reliqui Prelati secuti iusserunt ejusmodi epulas domi instituere & esculenta pauperibus ibidem erogari. (Ex consuetudine abrogata invalidum dicitur purgatorii fundamentum.)

Argum. 24. Sirac. 7. v. 37. Mortuo non prohibeas gratiam: ubi per gratiam intelliguntur preces, jejunia, eleemosyna & cetera pietatis exercitia, quae Deo pro defunctorum animabus nuncupantur. Canis. in opere Catech. q. 9. de pœnit. pag. 308. Costerus in Enchir. cap. 16. p. 499. Peltanus cap. 7. de Purgat. pag. 313. Tirinus in illum locum. Resp. 1. Theologi Lovaniens. hunc locum exponunt de honore sepultura & lachrymis super defunctorum, quando in Concordantiis marginalibus nos remittunt ad locum Rom. 12. v. 15. ubi Paulus nos vult ftere cum flentibus. Idem facit 2. Glossa Ord. in h.l. ( $\Sigma \mu \pi \alpha \theta e \sigma \alpha v$  ergo Siracides à nobis requirit cum lugentibus adhuc viventibus, non satisfactionem pro iis, qui in purgatorio laborant.) 3. Librum Siraclidis non esse in Canone, agnoscent quidam ex Pontificiis, ut ostendimus lib. 2. art. 1. c. 1. sect. 2. th. 7.

Argum. 25. 2. Maccab. 12. v. 45. Santa & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Ergo datur purgatorium. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 3. Canisius in opere Catechet. pag. 303. Peronius lib. 2. Topic. Theol. f. 138. & omnes reliqui. Resp. 1. Quidam ex ipsis Pontificibus & Pontificiis fatentur, librum hunc non esse in Canone, ut ostendimus lib. 2. artic. 1. cap. 1. sect. 2. thesi 8. (Atqui ex libro Apocrypho non potest dogma fidei firmiter probari, si destituatur Canonicae Scripturae fundamentis.) 2. Sanctes Pagninus testatur, seclusulam illam de sacrificio pro defunctis non reperiisse in autographo. (Nec extat 1. Maccab. 5. ubi eadem habetur narratio, nec in Josepho Gorionide Hebraice scripto, nec apud Josephum Græcum.) 3. Illi, pro quibus Judas voluit sacrificium offerri, mortui erant in peccato mortali, acceperant enim  $\iota \kappa \rho \mu \alpha \delta \alpha$  idolis Jamniensium consecrata. Deut. 7. 25. cap. 13. v. 17. Jos. 7. v. 25. cap. 22. v. 20. 2. Maccab. 12. v. 40. 41. & 42. Ergo hoc exemplum non est accommodatum ad stabiliendum purgatorium Pontificium, quia negant pro iis, qui in peccato mortali decedunt, sacrificium.



crificium esse offerendum. Ne ipsi quidem Pontificii sacrificium Missæ pro illis offerrent, quos in flagranti crimine mortuos viderent. Gregorius de Valent. lib. de Purgat. cap. 3. pag. 274. Velle ita orare pro defunctis, ut in extremo iudicio peccata ipsi mortalia remittantur, quibus in vita remissa non fuerunt; atque adeò, ne propter illa tunc non damnentur, minimè est sancta & salubris cogitatio, siquidem perperam id fieret, ut potè contralegem Dei ordinariam. Excipit quidem Bellarminus, peccatum illorum mortuorum fuisse veniale. Atqui peccatum veniale ipse definit, quod fiat vel subreptione, vel parvitate materie, lib. 1. de amiss. gratiæ cap. 3. Jam verò hīc neque subreptio fuit, nec parvitas materiæ. Ergò nec veniale peccatum. 4. Juxta Bellarmini sententiam Judas existimavit, imperfectos illos cum pietate mortuos ac optimam ipsis gratiam fuisse depositam. (At, quibus post mortem optima deposita est gratia, illi non torquentur flammis purgatorii, sed ad coelestem felicitatem & gloriam perveniunt.) 5. Juxta Pontificiorum hypothesin illi, qui pro peccato suo temporali pœnā à Deo afficiuntur, pro eadem culpa non puniuntur post hanc vitam in purgatorio. (Jam verò milites illi temporali pœnā ob peccatum suum à Deo puniuerant v. 42. Ergò non fuit alià pœnā temporali in purgatorio ipsis opus.)

2. Ex Novo Testamento. Argumentum 1. Matth. 3. v. 11. *Qui post me venturus es, ipse vos baptizabit Spiritu & igne, ubi per baptismationem in igne significatur ignis purgatorium.* Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 6. Pelikanus cap. 6. de Purgat. pag. 193. Schoppius in Comment de Indulgent. c. 46. f. 36. &c. Resp. 1. Pontificii statuunt, etiam tempore Vet. Testamenti esse purgatorium. (At si per Baptismum ignis hoc loco intelligitur purgatorium, sequetur, ante Christi adventum non fuisse purgatorium.) 2. Pontificii statuunt, perfectè justos non venire in purgatorium. (At si per Baptismum ignis hīc intelligitur purgatorium, sequetur, A postolos præcipue flammis purgatorii fuisse subjectos, quia illa Baptista verba à Christo præcipue ad Apostolos accommodantur. Actor. 1. v. 5.) 3. Pontificii statuunt, purgatorium esse supplicium, non beneficium; esse pœnam, non promissionem gratiosam. (Atqui Baptismus ille ignis vocatur gratiosa pro-



sa promissio & beneficium, Hierosolymis ab Apostolis expe-  
ctandum, A& i. v. 4.) 4. Thomas part. 3. Summ. q. 66. art. 3. non  
meminit purgatorii, sed Spiritus sancti, tribulationis & judicii. Sic  
quoq; Archangelus Rubeus in 4. sent. dist. 3. Alphons. de Castro  
h&r. 2. de Bapt. tantum meminit Spiritus & judicii. 5. Dionysius  
Carthus. in h. l. Baptizabit ignis, id est, baptizando caritatem in vo-  
bis accederet. 6. Cajetanus, Erasmus, Johannes Ferus in Comm.  
h. l. Ribera inc. 2. Joëlis v. 54. Cornel. Jansenius in c. 13. Conc.  
Evang. p. 112. Luc. Brug. in cap. 3. Matth. Barradius in Conc.  
Evang. ad h. l. Salmero com. 4. tract. 6. p. 57. Didacus Stella in  
cap. 2. Lucæ, secuti Lyranum docent. Baptistam loqui de visi-  
bili effusione Spiritus sancti, sub specie linguarum ignearum die  
Pentecostes futura A&tor. 2. vers. 3. (Ed enim verba Baptiste  
accommodat Christus ipse A&tor. i. v. 5. & Petrus A&tor. ii. v.  
16.) 6. Maldonatus in h. l. sic commentatur: Sunt, qui ignem  
hoc loco purgatoriorum interpretentur. Sed dubium non est, quin per  
ignem Spiritus sanctus significetur. Coniunctio enim E T hic non  
est conjunctiva, sed explicativa. Addita autem est explicatio, ut  
non qualisunque Spiritus Sancti communicatio, sed illa illustrissi-  
ma, que die Pentecostes specie ignis facta est, significetur. 7. Bel-  
larminus ipse dubius est lib. 1. de Bapt. c. 3. scribens, ignem, de  
quo Johannes loquitur, vel de linguis igneis, vel de igne purgatorii, vel  
de igne judicii, vel de igne tribulationis intelligi. Ibid. Quod addi-  
tur de igne Matth. 3. & Luc. 3. non significat ignem aliquid Elementa-  
tarem, ut scilicet putant Jacobite, sed ignem aliquem coelestem &  
divinum, nam ideo conjugatur cum Spiritu sancto. Similia habet Ti-  
rinus in h. l. (Atqui ignis purgatorii non est coelestis, nec Spi-  
ritus sanctus.) 8. Archangelus Rubeus in opere Sacramen-  
torum dist. 21. de hoc loco Matth. 3. Baptizabit vos Spiritu sancto  
& igne, sic scribit: Postrema expositio est Hieronymi, ut per ignem  
intelligatur Spiritus sanctus, qui super discipulos in linguis igneis  
apparuit, Act. 2. qua-literalis & propria illorum verborum existit.  
(Atqui ex solo sensu literali ducuntur firma argumenta, docente  
nos Bellarm. lib. 3. de V.D. cap. 3.) 9. Franciscus Toletus in cap.  
3. Lucæ, omnibus expositionibus illam sententiam præfert,

qno



quædiem postremi judicii, atque adeo ignem eternum dicit. Quia diceret, Christi est baptizare Spiritu sancto, & baptizare etiam ignem. Baptizabit Spiritu sancto in hoc seculo eos, qui in ipsum crediderint, quos vita anteacta male penituerit: malos autem & incredulos, qui suis voluerint inhaerere vitiis, baptizabit igne gehenna in altero seculo. &c.

Arg. 2. Matth. 5. v. 22. Qui irascitur frati suo, reus erit iudicio; qui dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio, qui dixerit factum, reus erit gehenna ignis. Ergo dantur quedam poena post hanc vitam minores gehennam ignis, & per consequens purgatorium. Bellarm. lib. 1. de purgat. cap. 8. Maldonatus tom. 2. Disput. de Sacram. p. 144. Pistorius in Hodeget. 12. pag. 547. &c. Resp. 1. Thomas in Catena adducit dictum Augustini contra Faustum. Penè omnia, quæ monuit vel præcipit Dominus, ubi adjungebat: Ego autem dico vobis, inveniuntur & in illis veteribus libris: sed quod non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem iniustum motum ad nocendum fratri, in homicidii genere deputatum. (Atqui homicidium non puniri aeterna morte, absurdum.) 2. Suarez tom. 4. in Thomam Disput. 45. p. 557. scribit, hunc locum non spectare ad controversiam de purgatorio, cum valde probabile sit, omnia illa membra iudicii, Concilii, gehenne, significare eternam damnationem, & poenam maiorem & minorem pro qualitate delictorum. Idem 3. Barradius tom. 2. Conc. Evangel. lib. 7. cap. 17. pag. 449. late ostendit. Similiter, nempe de damnatione solùm aeternâ, locum hunc exponunt 4. Maldonatus ac 5. Jacobus Tiritus in h. l.

Argum. 3. Matth. 5. v. 25: non exhibis inde, donec solveris novissimum quadrantem. Intelliguntur minutissima peccata, pro quibus in purgatorio solvendum, priusquam ex eo quis liberetur. Bellarm. lib. 1. de Purgator. cap. 7. Eccius in Enchir. pag. 217. Coster. in Enchir. cap. 16. Prop. 5. pag. 494. Salmeron tom. 5. tr. 37. Tiritus in h. l. & alii complures Scriptores Pontificii. Resp. 1. Glossa interlin. in h. l. Et mittaris in carcerem, i.e. in tenebras extiores. Non exhibis inde, donec solvas, i.e. nunquam, sicut ibi, donec ponam inimicos. 2. Thomas in Catena in Lucam ex Beato. In carcerem, i.e. infernum, ubi quis semper solver peinas patient.



do, sed nunquam persolvendo, veniam consequi non poterit, nunquam exinde exhibet, sed cum terribilissimo serpente Diabolo perpetuas pœnas luet. — Similiter exponunt 3. Carthusian. in Luc. 12. 4. Idem Carthusianus in caput 5. Matth. artic. 10. 5. Lyranus in h. 1. 6. Maldonatus in h. 1. *Hic est verus sensus, id enim postulat consequentia sententiae, ut adversarius appelletur is, qui habet aliquid adversum nos.* Adversarius igitur noster ille, quem lasimus, quem Raca aut stultum appellavimus, qui actionem apud Deum contra nos habet. *Via, hujus vita tempus; Judex, Christus, qui dicturus est: Quod uni ex minimis his fecisti, mihi fecisti.* Minister, Diabolus, qui in torquendis damnandis Deo ministrium prabat. Carcer, infernus; quadrans, minima culpa. Erat enim quadrans minimus nummus, duo continentis minutæ. Itaque ad ultimum quadrantem solvere, pro summo jure puniri, proverbio dicebatur. Perzerit aliquis dubitare, quomodo frater à nobis Jesus sit nos judici traditurus, cum & ipse sit judicandus? Hec ratio movit Augustinum, quod minus hanc interpretationem sequeretur. Sed non debuit, meo iudicio, movere. Lognitur enim Christus accommodatè ad hominum morem & forensem consuetudinem, ubi qui injuriam accipit, adversarium coram iudice siffit: non quod nos affectus injuria fratris apud Christum sit accusaturus. Tradet enim nos iudici, quia ejus causa tradetur; tradet non ipse, sed pro illo Diabolus, qui etiam condonatam nobis à fratre refricabit injuriam. *Quod autem dicit: nos inde non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat, ut ait Augustinus, exituros postea, sed nunquam exituros, quia qui in inferno sunt, cum semper debitas pœnas solvant, quia pro quolibet peccato mortali infinitas pœnas debent, nunquam persolvunt.* Et hoc sensu vox hec donec sumitur Psal. 109. regnabis, donec ponam inimicos. 1. Corinth 15. donec subjiciam omnia. Matth. 1. Non cognovit, donec peperit. Similia habent 7. Didacus Stella in cap. 12. Luc. p. 99. 8. Toleatus in cap. 22. Lucæ annot. 90. Inde 9. Cornel. Jansen. in Conc. Evang. cap. 40. p. 180. Non potest ex hoc loco rectè urgere quis probationem purgatorii. Sicur nec ex parabola de conservo, qui noluit parvum debitum denariorum remittere, cum ipse à Domino suo impetrasset remissionem decem talentorum, qui etiam reclusus dicitur in



in carcerem, donec redderet universam debitum &c. 19. Barrad. tomo 10. Conc. Evang. lib. 7. c. 17. p. 451. 11. Cajetanus & Erasmus Chrysostomi interpretationem amplectuntur, quod Dominus volunt terrere dissidentes comminatione humari periculi, ut sic per judicem intelligatur homo, per tortorem itidem homo, per carcerem materialis carcer hujus vita, per quadrantem verus nummus aurum. 12. Eodem abit Johannes Ferus in Commentar. ( Stante hac explicatione, purgatorius ignis nullum in hoc loco inventum fomentum.) 13. Pontificii fatentur, eos, qui non moriuntur in caritate, in infernum, non autem in purgatorium descendere. ( Jam vero Christus loquitur de illis, qui nec cum Deo per fidem, nec cum fratre in hac vita per caritatem reconciliantur, sed manent & irreconciliabiles usq; ad finem vita. Ergo loquitur de illis, qui in infernum descendunt.) 14. Rayhingius adhuc Pontificius in Manuali Cathol. pag. 949. fatetur, aliquo duntaxat modo purgatorium ex hoc loco probari posse. Et addit. Dixi, aliquo modo. Neque enim inficias imus, locum hunc a Patribus diversimode fuisse expositum, ac proinde non omnino certum, infallibile & necessarium argumentum pro purgatorio ex eo desumi posse. 15. Ibidem Rayhingius quatuor tantum Patres adducit, qui hunc locum ad purgatorium retulerint, videlicet Tertullianum, Cyprianum, Bernhardum, Eusebium Emissenum. ( At hi quatuor nondum faciunt Universalem Patrum consensum, quem alias a nobis requirunt. Adde, quod Tertullianus lib. de anima cap. 35. per inferos non intelligat purgatorium, sed infernum, ut patet ex contextu. Cyprianus Epist. 52. itidem non loquitur de purgatorio, sed de receptione excommunicatorum. Bernhardus serm. de obitu Humberti non explicat hunc locum Matth. 5. sed loquitur de eo verbis hujus parabolæ. Eusebii Emisseni Homilij de Epiphan. sunt adulterinæ.) 16. Bellarminus illis quatuor Patribus addit Origenem, Ambrosium & Hieronymum. Sed & hi testes causam ejus parum juvant. Origenes Homil. 35. in Luc. etiam Diabolos & damnatos ex inferni carcere aliquando liberandos statuit. Ambrosius in c. 12. Luc. purgationem illam in fine seculi demum futuram & ab omnibus sustinendam esse, existimavit. Hieronymus in cap. 5. Matth. ex isto carcere non patere exitum,

Yy

redæ



recte judicavit. Inde Suarez tom. 4. in Thom. Disput. 45. §. I.  
 pag. 557. scribit: Citantur Ambrosius in cap. 12. Luc Hieronymus  
 in c. 5. Matth. & Athanasius quest. 26. cum tamen ferè nihil aliud di-  
 gant, quam minima etiam peccata puniri à Deo, & neminem inde  
 exire, donec solvat, an vero aliquis solvat post hanc vitam, non de-  
 clarant. Ac Maldonatus in cap. 15. Matth. alios Patres opponit.  
*Hunc debitorem, inquit, nunquam esse liberandum, quia nunquam*  
*debitum solvat, docent Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus.* 17.  
 Idem Bellarminus urget scopum parabolæ, quod similitudo non  
 sumatur ab homicida aut adultero, aut bujusmodi sceleratis, sed à  
 debitore, qui propter debitum pecuniarium in carcerem conjicitur,  
 donec solverit. Solent autem tales homines ordinariè post aliquod  
 tempus egredi. Resp. ex Toletto in Luc. 12. annot. 89. Docet Christus,  
 reconciliationem esse faciendam, priusquam ad judicis tribu-  
 nal vocamur, ubi negotium exacto iustitiae rigore agetur. At ante  
 tribunalis tempus magna misericordia locus est. Si autem expecta-  
 mus judicis tempus, detrudemur in carcerem damnationis, à quo ne-  
 mo liberabitur, sed propter impænitentiam erit ei aeternus carcer,  
 aeterna damnatio. Conf. idem annot. 90. 18. Quinimò Bellar-  
 mino opponimus ipsum Bellarminum lib. 1. de Bon operibus  
 cap. 6. in expositione Dominicæ orationis sic scribentem:  
*Peccata dicuntur debita, tum quia omnis, qui peccat, injuriam fa-*  
*cit Deo, ac per hoc debitor est satisfactionis: tum quia omnis, qui*  
*peccat, legem Dei prævaricatur. (Atqui utraque ratio propria-*  
*est peccatis gravissimis, adeoque illis, quæ mortalia Pontificii*  
*solent appellare, imò illis propria est eximio quodam jure,*  
*cum, docente Bellarmino, peccatum veniale non sit propriè contra*  
*legem, sed prater legem. Quòd si ergò debiti nomine omnis ge-*  
*neris peccata in Scripturis exprimuntur, utique non potest*  
*debitor parabolicus opponi aliis peccatoribus.) Vid. 19. & Au-*  
*tor Oneris Ecclesiæ cap. 30. §. 5. 20. Stapletonus in Antido-*  
*to Matth. 5. Calvinum advertere, paucissimos hodie esse, qui hunc*  
*locum eo modo exponant, (ut ad purgatorium applicetur.) Neq;*  
*vero ipse in eo vindicando laborat, ut alias solet. Gregorius de*  
*Valentia prorsus omisit. (Magno disputationis Compendio*  
*adversus eos, à quibus vel in primis urgetur instar solidissimæ*  
*de-*



demonstrationis.) Idem Stapletonus locum hunc accenset *pan-*  
*lo levioribus, quibus Patres usi sunt paulo alienius.*

Arg. 4. Matth. 12. v. 31. *Quicunq[ue] dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro seculo per orationes & suffragia Ecclesie, & per conseq[ue]ntiam, datur purgatorium.* Bellarmin. lib. 1. de Purgat. cap. 4. Barrad. tom. 2. Conc. Evang lib. 8. cap. 17. pag. 557. Gregor. de Valent. lib. de Purgat. cap. 3. p. 278. Maldonatus tom. 2. de Sacramentis pag. 150. Tirinus in h.l. & alii complures. Resp. 1. Dionys. Carthusianus in h.l. *verba illa, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro, exponit ex Marc. 3. v. 29. non habet remissionem.* Similiter 2. Johannes Ferus in h.l. 3. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 13. resp. ad 2. *Nemo Catholicorum docet, culpas lethales remitti in purgatorio.* Conf. idem lib. 2. de Purgat. cap. 1. §. ultimò. (Falsum ergò est, quod hoc loco §. Tertiò &c. scribit, *peccata gravissima, quale est verbum contra Filium hominis dictum, in alio seculo remitti, quia ibi eorum remissio compleatur.*) 4. Idem Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 4. resp. ad 7. fatetur, *ex verbis Christi hoc non sequi secundum regulas Dialecticorum, quod ex illis probare nititur,* (cum ex negatione juxta regulas Logicas non statim sequatur affirmatio) *sequi autem secundum regulas prudentie, quomodo etiam respondet Maldonatus tom. 2. de Sacramentis pag. 151.* Itemq[ue] Peltanus in lib. de Purgat. ac Salmeron tom. 8. tract. 16. (Quasi verò ea, quæ sequuntur ex Dialecticorum regulis non sequantur ex regulis prudentiae & vice versa. Quinimò statuere, quod aliquid legitimè concludatur, & tamen non congruat regulis Dialecticæ consequentiæ, idem est, ac si quis diceret, se additionem numerorum facere, non quidem ex regulis Arithmeticis, sed Geometricis.) 5. Quando dicimus, *esse in verbis Christi exaggerationem Rhetoricam, absolutam negationem includentem, regerit Maldonatus in hunc locum, inceptam esse exaggerationem, ubi alteri parti nibil responderetur &c.* Sed respond. ex ipso Maldonato in Matth. 19. vers. 24. ubi super verba: *Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem ingredi in regnum cœlorum, sic commentatur: Hec*

Ty 2 oratio



oratio hominibus absurdā esse videtur, qui non intelligent, quo absurdior videtur, eo veriorem oportere esse orationem. Ex hoc enim absurdo, facilius esset camelum animal transire per foramen acus, significare voluit alterum absurdum. Impossibile esse divitem ingredi in regnum cœlorum. 6 Quando verba Christi apud Matthæū, non remittetur neq; in hoc, neque in futuro seculo, exponimus ex verbis Christi apud Matthæum, non remittetur in eternum, regerit Bellarm. d. l. non debere exponi Matthæum per Marcū, sed potius Marcum per Matthæum, cùm constet, Matthæum copiosius scripsisse, & Marcum fecisse quasi compendium ex Matthæo. Sed resp. Maldonatus in h. l. concedit, Marcam esse Matthæi interpretem, quod tamen Bellarminus negabat. Resp. etiam ex Gregorio de Valentia lib. de indissolub. vinculo matrim. cap. 4. §. Tertio. Marcus hoc in loco, ubi de divertio agitur tanquam Matthæi interpres est adhibendus. (Si ergo Valentiano licuit Matthæum exponere per Marcum, quidni idem nobis liceat, cùm Matthæus loquatur figuratè per Rhetoricam exaggerationem, Marcus verò propriè?) 7. Corn. Jansenius in Conc. Evang. super h. l. adducit verba Chrysostomi. (Quibus nullam pœnam in futuro agnoscit, nisi damnatorum, id est, æternam.) 8. Provocant ad Augustinum libr. 27. de Civitate Dei cap. 24. purgatorium ex hoc loco deducentem. Sed Ludovicus Vives in Commentar. illius loci testatur, quod duodecim illi versus, in quibus peccata etiam in futuro seculo remitti dicuntur, in multis antiquis Codd. Brugensis & Coloniensis non inveniantur, ac verisimile sit, eos margini primum adscriptos, postea in textum irrepsisse. 9. Pontificiorum hypothesis est peccata in purgatorio puniri. Cum hac hypothesi non congruit probatio ex hoc dicto Christi. Sic enim concludunt: Remittuntur aliqua peccata in futuro seculo, Ergo est purgatorium. Atqui remissio peccatorum non est punitio, sed opponitur punitioni, cùm misericordiam facere. Opunire iniquitates sibi invicem opponantur Exod. 20. v. 5. Rectius ergo contrario modo posset colligi. Peccata remittuntur in futuro seculo. Ergo non est purgatorium. Dicuntur autem peccata remitti in fururo seculo, quia tunc eorum remissio publicè manifestabitur. Sicut dies iudicii Rom. 8. v. 23, vocatur dies redemtionis.



etionis ac adoptionis nostræ, quia tūm plenè redemptio ac adoptio manifestabitur: ita eodem sensu potest dici dies remissio-  
nis peccatorum. 2. Tim. i. v. 16. Praestet Dominus misericordiam O-  
nus siphori familia die illo. 10. Suarez tom. 4. in 3. p. Disput. 45. fa-  
retur, hoc dictum Christi à Chrysostomo Homil. 14. in Matth. & Gra-  
cis Patribus longè aliter, quam de purgatorio exponi. (Jam verò i-  
pime Pontificii requirunt unanimem Patrum consensum.) 11.  
Gregorius de Valentia lib. de purgator. cap. 3. p. 279. scribit,  
in altera vita non esse locum nisi justitia in retribuendo, videlicet pœ-  
nam vel præmium pro meritis, aut de meritis hujus vite. (Jam ve-  
rò remissio culpæ non est actus justitiae distributivæ, quia pen-  
illam nec pœna, nec præmium distribuitur, sed est actus  
divinae misericordia, condonantis peccatum. Ergo remissio  
culpæ in futuro seculo non habet locum, & per conseq. ex  
verbis Christi probari nequit, peccata quædam remitti in fu-  
turo seculo, qua in hoc seculo non fuere remissa.) 12. Si ex ver-  
bis Christi probari posset, quædam peccata remitti in fu-  
turo seculo, & per consequens dari purgatorium, sequeretur,  
in purgatorio gravissima quædam peccata remitti. Ratio con-  
nectionis est, quia Christus loquitur de blasphemia in Filium  
& in Spiritum sanctum, quæ sunt peccata longè gravissima ac  
mortalia. Consequens Pontificii non concedunt, sed venialia  
tantum & leviora peccata in altero seculo remitti docent. Ergo  
nec antecedens statuere debent. 13. Alfonso de Castro lib. 12. adv.  
hæreses, verbo Peccatum, hæresi 6. Richardus de S. Victore illa Chri-  
sti verba dicit esse intelligenda non de remissione culpæ, sed pœna. &c.

Argum. 5. Matth. 12. v. 36. Dico vobis, de omni verbo otiosa,  
quod locuti fuerint homines, rationem reddent in diei iudicij. Ergo  
dantur quædam peccata parva & irremissa, de quibus etiam sancti  
qui sepe otiosa verba loquuntur, rationem reddere tenentur. Hoc  
autem non fiet in extremo iudicio, quia ante illud plenam remis-  
sionem sancti consequuntur. Fiet igitur in purgatorio. Salmero to-  
mo 4. Disput. 26. pag. 228 Bunderius in Compend. xit. 28 art.  
ii. Resp. i. Johannes Ferus, Franciscus Lucas, & Maldonatus in  
h. l. per diem iudicij intelligunt Universale iudicium, in die no-  
vissimo instituendum, in quo iniipi non tantum de externis  
factis, sed etiam de otiosis verbis rationem reddere tenebun-



tur. Similiter 2. Salmero sibi contrarius tomo 8. tract. 16. pag. 127. 3. Barradius tom. 2. Concord. Evang. lib. 8. cap. 17. pag. 558. exponens hæc verba Christi, nullam planè purgatorii mentionem facit. Tirinus itidem nihil de purgatorio. 4. Cornelius Jansenius in cap. 49. Conc. Evang. disjunctivè loquitur. Eodem modo 5. Emanuel Sa. (Ergò nondum est certum, intelligi judicium particulare in morte, ac proinde ex hoc loco non potest certum argumentum colligi pro astruendo purgatorio.)

Argum. 6. Luc. 12. v. 47. & 48. *Qui (servus) non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Hunc locum pro astruendo purgatorio adducit Franc. Polygranus in assertionibus cap. de suffragiis defunctorum & Purgatorio. Id, inquit, de futuro dici palam est. Modò parum vapulare referriri neguit, nisi ad pœnam temporariam: eterna quippe vapulatio pauca dici non debet. Resp. 1. Gorranus in h. l. sic commentatur: Inter omnes pœnas mitissima omnium pœna est eorum, qui præter originale nullum addiderunt: major postea eorum, qui ex ignorantia peccaverunt: postea eorum, qui ex infirmitate, tamen scienter: postea eorum, qui ex malitia. Ecce quatuor gradus damnatorum. Similiter 2. Dionys. Carthusianus in h. l. Plagis vapulabit paucis, id est, minoribus subjacebit pœnis, ribilominus eternaliter punietur, si in mortali peccato discessit. ac 3. Didacus Stella in h. l.

Argum. 7. Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in eterna tabernacula.* Ergò homines post mortem iuvantur precibus sanctorum, & per conseq. datur purgatorium. Bellarminus lib. 1. de Purg. cap. 8. Loricinus in voce Purgatorium, num. 3. Schoppius in Comment. de Indulgent. cap. 46. fol. 36. &c. Resp. 1. Didacus Stella in annot. h. l. sic scribit: In literæ rigore, si hæc verba (Facite vobis amicos &c.) perpendantur, nihil aliud Christus nobis h̄ic innuere voluit; nisi ut bona nostra pauperibus impartiamur, ut cum è vita excesserimus, in aternis habitaculis recipiamur. Similiter exponunt 2. Maldonatus in hunc loc. pag. 320. item Cajetanus ac Tirinus. (Ergò de beatitudine & cœlo, non autem de purgatorio h̄ic agitur.) 3. Salmeron in h. l. tom. 7. tract. 29. scribit, locum hunc multis difficilem admodum & perobscurum visum esse. (Atqui



qui ex locis obscuris & parabolicis non possunt probari fidei dogmata, nisi ex clarioribus Scripturæ locis applicatio & explicatio probetur.) Multi, qui ex professo hanc parabolam tractarunt & exposuerunt, nullam purgatorii faciunt mentionem. Thomas, Dionysius Carthusianus, Gorranus, Cajetanus, Sa in Lucam, Royardus Domin. X. post Pentecost. Barradius Comm. in Concord. tom. 3. lib. 4. cap. 2. Salmero d.l. &c. 4. Si de purgatorio Christus loqueretur, consequens foret, etiam Apostolos in purgatorium venisse, quia v. 1. ad madu[m] hauc parabolam dixisse legitur. At consequens illud Pontifici non concedunt. 5. Bellarminus fatetur, deficere hic esse idem, quod mori. Quod si ergo statim, quando deficimus, hoc est, morimur, pauperes, quos ekemosynis nobis amicos fecimus, in aeterna tabernacula nos recipiunt, utique non descendimus in purgatorium. 6. Barradius tom. 3. Cone. Evangel. lib. 4. cap. 3. pag. 246. locum hunc non accommodat ad purgatorium, sed de ipso Deo ac Christo exponit, quod nempe in aeterna tabernacula auro fulgentia nos recipient. 7. Eodem ferè modo Salmeron d.l. ac Cornel. Jansenius in h. l.

Argum. 8. Luc. 16. v. 23. Dives epulo videns Abrahamum a longe & Lazarum in sinu ejus, orat, ut Lazarus in auxilium sibi mittatur & linguam refrigeretur. Ergo dives fuit in purgatorio. Jacobus Faber Stapulensi. in h. l. Fevardentius lib. 12. Theomachia cap. 2 n. 2. & seqq. Resp. 1. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 8. sic scribit: Catholici ferè omnes epulonem in gehenna esse dicunt, proinde Petrus Martyr in vanum pugnat. 2. Barradius tomo 3. Concord. Evangel. lib. 4. cap. 5. & seqq. ex statu divitie in hac vita & post hanc vitam probat, ipsum fuisse in gehenna. 3. Sidives fuit in purgatorio, & tamen non impetrat subsidium ab Abrahamo, consequens fuerit, animas in purgatorio & tuantes, nullum à sanctis, vel viventibus, vel defunctis impetrare subsidium. Consequens Pontifici non admittunt. 4. Abrahamus disertè dicit, chasma magnum firmatum est inter nos & vos, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc, transmeare, v. 26. At juxta hypothesin Pontificiorum ex purgatorio patet transitus in celum. 5. Dives epulo petit

guttu-



guttulam aquæ, id est, consolationis. At iuxta hypothesin Pontificiorum animæ in purgatorio habent quandam consolacionem, cum de salute sint certæ, ac transeant per aquam & ignem. 6. Tirinus in h.l. addit, voluisse Christum integrum damnati divitis supplicia, quæ post resumtum corpus habiturus erat, ob oculos pene. (At in resumptione corporum sive resurrectione evanescit purgatorium.)

Argum. 9. Luc. 23. v. 42. Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Latro non ita dixisset, nisi putasset, Christum posse ipsi post hanc vitam peccata remittere. Alioqui dixisset, memento mei, antequam moriamur ambo in cruce. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 8. Becanus lib. 1. Manual. cap. 8. n. 58. Moldonatus tom. 2. de Sacramentis pag. 152. &c. Resp. Ostendimus superius. §. 10. multos ex ipsis Pontificiis agnoscere, latronem conversum non descendisse in purgatorium, sed rectâ subvolâsse in cœlum. 1. Barradius tom. 4. Conc. Evang. lib. 7. cap. 15. pag. 353. scribit, latronem petisse, post mortem (& quidem eo ipso momento, quo Christus venturus erat in regnum suum,) in regnum Messie duci. nullum igitur vel credidit, vel metuit purgatorium. 2. Jacobus Tirinus ad h.l. sic annotat: & Cyprianus & Augustinus latronem hunc vocant Martyrem. (At Martirum animæ non veniunt in purgatorium, sed in cœlum. 3. Latro non levium & venialium, sed gravissimorum ac mortalium peccatorum remissionem à Christo petebat. At in purgatorio ex hypothesi Pontificiorum non mortalia, sed venialia peccata remittuntur.

Arg. 10. Act. 2. v. 24. Deus suscitavit Christum solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum à morte. Ergo Christus ex illis inferorum locis, ad quæ descendit, solvit quasdam animas ex doloribus & cruciatibus, in quibus antea detinebantur. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 8. Fevardentius lib. 12. Theomach. cap. 8. n. 1. Costerus in Enchirid. cap. 16. p. 493. & alii. Respond. 1. Benedictus Arias Montanus in Comment. sic exponit: Solutis doloribus inferni, hoc est, vinculis sepulchri, quibus constringuntur mortui, scil. legibus corruptionis, de quibus scriptum est: Cinises & in pulverem converteris. Hujus corruptionis legibus caro



caro Christi fuit soluta, ut potè sanctissima & aliena secundum seipsum ab omni corruptione carnis. 2. Johannes Ferus in h. l. sic commentatur: Christus solvit dolores mortis & inferni, sed solis piis. Mortem quidem solvit, ne gustare oporteat &c. 3. Cajetanus in h. l. Dolores mortis soluti sunt poenitentes animæ separate. Et dicit pluraliter, doloribus mortis, eo quod plures poenitentes sufferebat anima Christi separata à corpore. Ipsum enim esse separatum à corpore, poenitentia quedam est anima, locus quoque inferni nonnulla poenitentia erat: & utrumque mortem consecutum fuerat. Quam sententiam repetit in notis in Thomam part. 3. q. 12. art. 4. Eodem modo explicat 4. Lorinus Jesuita in h. l. 5. Andradius lib. 2. defens. Trident. ac 6. Johannes Hoffmeisterus in h. l. per dolores mortis & inferni intelligunt omnium gravissimas passiones & dolores, quos omnes Christus pro nobis passus est, & à quibus omnibus liberatus est. Similiter ferè 7. Riberia in Comment. Osee 13. n. 23. pag. 173. & 8. Jacobus Tirinus Jesuita ad h. l. qui etiam in hanc sententiam adducit S. Augustinum Epist. 99. Basilium, Theodoretum in Ps. 17. Suarez parte 3. q. 52. Disputat. 43. scđt. 1. & Cornelium à Lapide. (Hęc expositio nullum purgatorio suppeditat fomentum.) 9. Si Christus solvit dolores animarum purgatorii, tum piis non est amplius metuendum purgatorium. Ut enim recte infero, quia Christus solvit dolores inferni, ideo infernus piis non amplius metuendus: ita quoque de purgatorio idem recte inferre possumus. At hanc illationem sive hoc consequens Pontificii non concedunt. Ergo nec antecedens statuere debent.

Argum. 11. Rom. 12. v. 3. *Orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes* Pro voce Graeca χρεῖος legendum est preciosus, ut sit sensu. Communicantes memoriis sanctorum, hoc est, preces & eleemosynas Deo offerte pro animabus ē purgatorio liberandis. Salmero tom 14. Disp. 25 p. 217. Turrianus lib. 4. pro Epist. c. 14. Resp. 1. Vulgata versio in Tridentino Concilio Pontificiis facta est authentica. Ea verò non legit memoriis, sed necessitatibus. 2. Dominicus à Soto in h. l. *Lectionem nostram* (usibus sanctorum communicantes) ferè Patres in universum sequuntur. Eandem retinendam censet Benedictus Justinianus



in h. l. Toletus in h. l. *Nostra tamen lectio communis est & legitima.* 3. Benedictus Arias Montanus & Sanctes Pagninus non legunt *μετέως*, sed *χρέως*, quo modo etiam Syrus expressit. 4. Glossa interlinearis, Lyranus, & Benedictus Justinianus Jesuita exponunt *de sanctis in hac vita constitutis*, quod ipsis in egestate constitutis ex Christianâ caritate subvenire, & hac ratione necessitatibus eorum communicare debeamus. Franciscus Toletus in h. l. eodem ferè modo. Sic quoque Franc. Lucas Brugensis in h. l. 5. Erasmus ad h. l. sic annotat: *Videtur hoc agere Paulus, ut non solum presentes presentibus impertirent caritatem mutuam, sed absentium quoque memores essent, juxta id, quod Paulus à Petro monitus facit in Epistola ad Galatas, ut pauperum memor colligeret donatitiam pecuniam.* (Ergo si vel maximè legitur *χρέως*, nondum tamen accensum erit purgatorium.)

Argum. 12. 1. Cor. 3. v. 14. *Si cuius opus arserit, detrimentum patierit.* Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Per ignem h. l. intelligitur poena aliqua purgatoria & temporalis, ad quam post mortem adjudicantur, qui in iudicio particulari inventiuntur adficasse lignum, foenum aut stipulam. Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 5. Gregor. de Valent. lib. de Purgat. cap. 3. p. 274. & reliqui ferè omnes. Suarez tom. 4. in p. 3. D. 45. sect. 1. n. 14. vocat præcipuum & celebrem locum. Resp. Bellarminus d. 1. factetur, hunc locum esse ex difficilioribus, & adducit dictum Augustini lib. de fid. & operibus cap. 15. ubi vocat sententiam planè ad intelligendum difficultem. Salmero agnoscit, quod omnes Patres hunc locum perplexum & impeditum esse dixerint. (At loca Scripturar, ex quibus præcipue & principaliter fidei articuli probandi sunt, debent esse clari & perspicui.) 2. Idem Bellarmin. lib. 3. de Verb. Dei cap. 3. ex solo sensu literali firma in fidei articulis argumenta deduci posse docet. (At locus hic totus est metaphoricus, fatente Peltano c. 6. de Purg. p. 243. ac Ben. Justinian. in h. l. 3. Pauci ex veteribus hunc locum exponunt de purgatorio; & qui de purgatorio eum exponunt, a ibi nostram expositionem sequuntur, ut Augustinus lib. 21. de Civ. Dei c. 26. Gregor. 1. 4. Dial. cap. 39. ubi per diem & ignem intelligunt diem tribulationis & ignem tentationis. Chrysostomus & Graci Patres



Pates accipiunt de igne infernali. (At Pontificii requirunt unanimem Patrum consensum.) Augustinus d. l. inquit. Forsan verum est. (Ergo non habuit pro fidei articulo.) 4. Thomas, Dionysius Carthus. Lyran. & Cajetanus per architectos in tex- tu Apostolico intelligunt Ecclesie Doctores, quam expositio- nem Bellarm. §. Utraque; vocat bonam & magis literalem; quam eam, quā intelliguntur omnes Christiani. At si per architectos intel- liguntur soli Ecclesie Doctores, non poterit ex hoc loco purga- torium demonstrari, alias sequeretur, solos Ecclesie Doctores venire in purgatorium. ) Idem Bellarm. d. l. §. Sexta sententia, per stipulas & fænum intelligit doctrinam Prædicatorum curiosam, inutilem, supervacaneam. At non omnes Christiani sunt Prædi- catores, proinde nec superedificant stipulas, vel doctrinam cu- riosam. Ergo non omnes per istum ignem stipulas absumeant transeunt, sed soli Prædicatores, & per consequens ignis ille non est ignis purgatorii, qui ex hypothesi Pontificiorum est omnibus Statibus communis. ) 5. De tali igne loquitur A- postolus, per quem omnibus transeundum, ut ostendunt ipsæ verba, quia non solum stipulas & fænum, sed etiam aurum & gemmas illo igne probari dicit. Jam vero non omnes in purga- torium descendunt, uti disertè docet Bellarminus lib. i. de Purg. cap. 5. §. Denique &c. ac lib. 2. de Purgator. c. 1. 6. Bel- larmin. lib. i. de Purg. cap. 5. vocem ignis in v. 13. primū exponit de igne propriè sic dicto, qui in die judicii omnia consumet; secundò figuratè de igne severi judicii divini; postremò in v. 15. iterum propriè de vero igne purgatorii. Turrianus lib. 4. pro E- pist. Decretalibus contra Magdæb. c. 13. exponit de duplice igne propriè sic dicto, videlicet de infernali, per quem judex peccata mortalia in æternum; ac de igne purgatorii, per quem venialia pec- cata temporaliter sit puniturus. Suarez d. l. Disp. 45. sect. 1. u- bique exponit de igne propriè sic dicto. Benedictus Justinianus accipit de igne purgatorii. Cajetanus & Lyranus, itemq; Dio- nysius Carthusianus & Benedictus Arias Montanus in Comm. h. l. per ignem nuspiciam intelligunt ignem propriè sic dictum, sed figuratum, videlicet severum & justum judicium divinum, ex quo tamen pena venialium peccatorum temporalis sequatur.



In quam sententiam etiam Bellarminus tandem abit, triplici ratione hanc interpretationem vocabuli *ignis* confirmans. (At quæ potest esse interpretationis hujus certitudo, cum in ignis voce explicanda tot modis varient? Præterea, quo sensu accipit Apostolus vocem *ignis* in vers. 13. eodem etiam accipit eam in vers. 15. ut ostendit indulsa connexio. Ergò in v. 15. non loquitur de igne propriè dicto. & per consequens non loquitur de purgatorio, quod continet ignem propriè dictum, juxta Bellarmini hypothesin. Sic igitur concludimus. Qui *ignis* uniuscujusque opus probabit, per illum ignem salvi fient Doctores stipulas superædificantes, ut patet ex contextu. At non *ignis* purgatorii, sed *ignis judicii divini* est, qui uniuscujusque opus probabit, exponente Bellarmino. Ergò non per ignem purgatorium, sed per ignem divini judicii salvi fiant Doctores stipulas superædificantes.) 7. *Ignis*, de quo Paulus loquitur, tam bona, quam mala opera revelat. At *ignis* purgatorius bona opera non revelat, sed mala duntaxat, à quibus purgantur animæ, ut Salmero in h. l. concedit. *Ignis* verò extremæ diei utraque revelat. Ergò Paulus non loquitur de igne purgatorii. (Lutherus tom. 5. Jenens. Germ. fol. 166. in Palinodia circa Purgatorium urget hoc argumentum. Quale est illud, quod igne debet probari, *aurum*, *argentum*, *lapides pretiosi*, *lignum*, *fænum*, *stipula*, talem etiam oportet esse ignem, quo hæc omnia probari debent, cum apud Apostolum sit continuata metaphora, sive allegoria. Atqui agnoscunt Pontificii, voces *fæni*, *stipularum*, *ligni*, *auri*, *argenti* metaphorice sumi. Ergò etiam agnoseant, vocem *ignis* metaphorice accipi, ac proinde non posse materialem, corporeum & sensibilem purgatorii ignem hac voce intelligi.) 8. Guilielmus Estius in Comm. h. l. & in 4. sent. dist. 47. quanquam concedat, per consequentiam posse trahi hec verba ad purgatorium, genuinum tamen sensum esse de igne conflagrationis futuro in die illo Domini magno, cuius interpretationis B. Augustinum, Gregorium, Chrysostomum, Theodoretum, autores laudat. 9. Francisc. Turrianus d. l. sequitur expositionem Chrysostomi Homil. 9. in 1. Cor. Nazianzeni Orat. 39. Athanasii q. 131. Anastasi Niceni q. 60. Clementis Alexandrini lib. 5. Stromat. Hieronymi in c. i. Jer. in c. i. Nahum, in cap. i. Zachari. Pauli-



Paulini in Epist. 29. ad Apruni, quod Apostolus loquatur et  
 iam de illis, qui damnantur, quodque per stipulas intelligat peccata  
 mortalia. (At hæc expositio evertit fundamentum purgatorii,  
 quod in hoc loco Apostolico queritur.) 10. Bellarminus d. l.  
 provocat ad Origenem, quod locum Apostolicum de purgato-  
 rio apertissimè exponat. Sed respond. ex Suarez d. l. v. 7. Ani-  
 madvertendum est, licet hæc loca Origenis expositionem hanc confir-  
 ment, non tamen veritatem purgatorii; quia ille omnem ignem futu-  
 re vitæ purgatoriorum facit. Provocat ibidem Bellarminus ad Oe-  
 cumenium & Theodoretum. Sed resp. ex Gregorio de Valen-  
 tia lib. de Purgatorio cap. 3. Oecumenius & Theodoretus hunc locum  
 exposuerunt de purgante igne conflagrationis divini judicii. II.  
 Ipsius Pontifici in expositione hujus loci sibi non constat,  
 sed variis modis dissentient. Per architectos Cajetanus & Bel-  
 larminus intelligunt solos Doctores & Evangelii Prædicatores.  
 Alii intelligunt auditores. Fevardentius lib. 12. Theomach. c.  
 4. n. 2. utrosq; Per aurum & argentum Stapletonus & Eisengrein  
 intelligunt opera bona, per stipulas & fœnum peccata venialia. Sed  
 Bellarminus & Peltanus per aurum & argentum intelligunt do-  
 ctrinam utiliē & salutarem docentium; per lignum, fœnum & sti-  
 pulas doctrinam non quidem hereticam, vel malam, sed tamen  
 curiosam, inutilē, supervacaneam. Valentianus & Fevarden-  
 tius per aurum & argentum intelligunt cum veram doctrinam Pa-  
 storum, tum virtutes Pastorum & auditorum; per lignum, fœnum &  
 stipulas peccata levia & temporales penas, judicio Dei reservatas. 7.  
 Per diem Bellarminus, Peltanus, Justinianus &c. negant signi-  
 ficari presentem vitam. Sed Thomas in Comment. h. l. contra-  
 rium habet. Per diem Domini Cajetanus, Fevardentius, Pelta-  
 nus, Pistorius, Costerus intelligunt judicium particulare; Bel-  
 larmin. universale & ultimum; Gregorius de Valent. ac Tiri-  
 nus diem mortis & ultimi judicii simul. Verbum revelabitur Bel-  
 larminus refert ad diem. Valentianus ad opera. Per ignem proban-  
 tem uniuersumq; opus Valentianus intelligit ignem purgatorii,  
 per quem non transeunt superad dicantes aurum & argentum.  
 Sed Bellarminus hanc expositionem refellit, & ignem univer-  
 salis judicis intelligit, per quem omnes transirent, quicquid su-  
 b 3 non poterat a deo peradi-  
 gatur



peradifcent. Verbum *enarrabatur*, detrimentum patientur, Valentianus de persona operante, non de opere intelligit. Bellarminus contra non de operante, sed de opere ipso accipit. Verba Apostoli, uniuscujusque opus ignis probabit, de Purgatorio exponit Valentianus. Sed Peltanus & Bellarminus statuunt, ea non loqui de purgatorio, sed tantum ultima verba, *salvus erit quasi per ignem*, eò accommodant. Per particulam quasi in verbis Apostoli, *salvus erit quasi per ignem*, similitudinem aliquam notari Bellarminus concedit, sed Valentianus illud negat, & potius notari putat per emphasis quandam ipsam rei proprietatem & veritatem. (Cùm igitur ipsum Pontificii in expositione hujus loci tot modis invicem dissident, non poterunt apodicticum argumentum pro purgatorio adstruendo ex illo formare.) 12. Quinimò Bellarminus à se ipso in explicatione h. l. dissentit. Ceu patet ex coll. libr. i. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 9. libr. x. de Purgatorio cap. 5. 13. Merito igitur Erasmus in annot. h. l. p. 352. censem, hunc locum non esse de purgatorio accipiendum.

Argum. 13. i. Corinth. 15. v. 29. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui omnino non resurgent?* ut quid & baptizantur pro illis? ubi Apostolus loquitur de Baptismo lacrymarum & paenitentie, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo, ut sensus sit: *Quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, afflignant se pro mortuis, si mortui non resurgent?* Bellarminus lib. i. de purgatorio cap. 6. Stapletonus in Antidot. pag. 807. Salmero in hunc loc. Becanus in Manuali libr. i. cap. 8. pag. 147. Thyraxus, Turrianus, Peltanus, Tirinus &c. Resp. i. Bellarminus agnoscit, diversimodè hunc locum à veteribus exponi, & adducit sex diversas illius loci explicationes. Salmero tom. 14. Disputat. 24. in i. Cor Locus hic sanè perdifficilis quibusdam vi. detur, & variae ac diversae Patrum intelligentie satis indicant, non adeò perspicuum esse, ad quem morem & ritum alludat Apostolus, et si scopus obscurus non sit. Suarez part. 3. quæst. 56. Disp. 50. sect. i. Cornelius à Lapide & Benedictus Justinianus in Commentar. i. Cor. 15. itidem varias ac diversas Patrum expositiones recensent. (Atqui ex loco obscuro & variis Patrum expositiōibus subiecto non potest certum & immotum purgatorii funda-



fundamentum peti, cum ipsi met Pontificii unanimē Patrum consensum requirant, cumq̄ue Patres illi omnes Baptismū non metaphorice sed propriè sumtum in verbis Apostoli intelligant.) 2. Glossa ordinaria aliquot expositiones afferit, de suffragiis & purgatorio nihil habet. Nec 3. Lyranus nec 4. Cajetanus. Jentaculo 2. q. 3. ubi tamen prolixè de hoc loco disserit. 5. Claudio Guilandus locum sic exponit: *Baptizantur pro mortuis martyres, qui patiuntur & affliguntur pro fide & articulo resurrectionis mortuorum.* Similiter 6. Cornelius à Lapide in Comm. 7. Maldonatus in cap. 12. LUC. v. 50. Confer hunc locum Apo- stolicum cum verbis Christi Baptismo habeo baptizari. Hanc interpretationem ex professo confirmat in Disput. de Baptismo tom. 1. pag. 75. 8. Benedictus Justinianus facet, illorum explicationem, quasi Paulus agat de solitudine illā, quā animæ piorum suffragio juvantur, esse coactam & tamen communem errorem sequens, interpretationem de metaphorico Ba- ptismo retinet. 9. Thomas in h. l. Ut per hoc, quod dicit, mortuis, intelligentur opera peccati, quæ sunt mortua, quia carent vir- tute gratiae, & duocnt ad mortem. Et secundūm hoc plana est litera. Quid scilicet facient illi, qui baptizantur pro mortuis, id est, pro peccatis abluendis, si non sint vitam gratia habituri? Eadem ex- positionem amplectitur Contarenus Cardinal. (Bellarminus & Salmero hanc interpretationem refellunt: nobis sufficiat, Thomam hic non vidisse purgatorium.). 10. Gagneus Doctor Sorbonæ, Prædicator ac Eleemosynarius Regis in cap. 15. Act. accipit quidem baptizari pro affligi, interim purgatorium, non elicit ex hoc loco vel ex hac baptizandi significatione. 11. Cardinalis Baronius tom. 1. Annal. ann. 57. sect. 165. & 166. hujus loci mentionem faciens, videtur in eorum opinionem inclinare, qui crediderunt, Apostolum loqui de quibusdam hereticis, contra quos resurrectionem ex ipsorum Ceremoniis, licet a se non probatis, defendat, ut Epiphanius, Chrysostomus & Terullianus.

Argum. 14. Phil. 2. v. 10. *In nomine Jesu omne genu flecatur cœlestium, terrestrium & inferorum. Per natum doxius intelliguntur anima in purgatorio. Qui enim in gehenna sunt, non flecant Christo genua.* Roffensis Episcopus art. 17. col. 7. 9. Eccius in Enchir. 106.



loc. de Purgat. pag. 219. Canisius in opere Catech. q. 9. de pœnit. pag. 309. Peltanus, Fevardentius, Thyræus, Stotanus & alii. Resp. 1. Thomas de Aquino lect. 3. in cap. 2. Phil. per *natura&gt;dovis* intelligit *Dæmonas*. Eodem modo exponunt Haymo, Lyranus ac Lombardus in illum locum. Suarez tom. 3. in 3. Disp. 43. & Benedictus Justinianus ac Jacobus Tirinus in cap. 2. Philipp. 3. Bellarminus ipse non multam tribuit huic purgatorii fulcro. Per illud *infernum*, inquit lib. 1. de Purgat. cap. 4. non improbabiliter accipiuntur *Dæmones*. 4. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 6. & eum secutus Pazmannus in Hodeg. Peltanus de Purgat. cap. 6. fatentur, *incertum esse an infernus sit in centro terre, an verò in eo loco, ubi peccârunt animæ*. (Quomodo ergò ex vocabulo *natura&gt;dovis* purgatorium evidenter probare poterunt?) 5. Schoppius in Apologet. cap. 6. fol. 85. scribit, *argumentum hoc esse parum efficax ad afferendum purgatorium*. Non utuntur sufficiente enumeratione. Constituunt enim etiam *puerorum* *limbum* *infra terram*, cujus tamen hic nullam habent rationem.

Argum. 15. 2. Tim. 1. v. 16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sapè me refrigeravit.* v. 18. *Det illi Dominus invire misericordiam à Domino in die illa.* Ex hoc loco Fevardentius in Theomach. *Purgatorium* colligit. Resp. 1. Benedictus Justinianus in Comment. statuit, hunc Onesiphorum fuisse post Timotheum Episcopum Ephesinum, utique ergò eum adhuc in vivis esse oportuit. *Hunc, inquit, fuisse Ephesinum, ejusque deinde urbis Episcopum perhibent, quamquam Dorotheus Coronae illi Episcopatum adscribit.* 2. Justiniano suffragatur Salmero. (Atqui tum, cum hæc scribebat Apostolus, Ecclesiæ Ephesinae Episcopus erat Timotheus.) Timoth. 1. v. 3. cap. 3. v. 15. inde Salmero in hunc loc. super verba, *Quanta Ephesi mihi ministravit, tu melius nosti.* Quomodo ergò potuit Onesiphorus esse mortuus, cum Paulus hæc scribebat, si post Timotheum fuit Ephesinus Episcopus?) 3. Posset quis ex eodem principio concludere, Paulum orâsse pro animabus defunctorum ex inferno liberandis, quia Onesiphori majores fuerant *Ethnici*. At consequens hoc Pontificii non admittunt. 4. Verba illa, *Det illi Domi-*



Dominus invenire misericordiam à Domino in die illa, ipsumet Pontificii Interpretes referunt ad diem Universalis judicii, in quo purgatorium ex ipsorum hypothesi penitus extinguetur. Salmero in hunc loc. In die illa, scilicet judicii postremi. Benedictus Justiniānus in hunc loc. Quod addit, in illa die, refertur ut explicat Chrysostomus, ad diem extremi judicii. Cajetanus in hunc loc. Orat pro aeterna retributione in die judicii. Sequuntur hac in parte Thomam in h. l. sic commentantem: In illa die, in qua scil. Dominus judicabit omnes.

Arg. 16. 1. Petr. 3. v. 19. In quo & his, qui in carcere erant, Spiritu veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arcæ. Hic agit Apostolus de quorundam animabus peccatricibus, ab hoc mundo profectis, & in alero seculo detentis carcere & pœnis, quas Christus visit, eis evangelizavit, ipsasq; ex carcere liberavit. Turrianus lib. 4. pro Epilt. Pont. contra Magdeb. cap. 14. pag. 465. Fevardentius lib. 12. Theomachia cap. 9. num. 1. & 2. Tirimus in 1. Pet. 3. Resp. 1. Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 13. ac Salmero in illum loc. per φυλακὴν intelligunt limbum Patrum, non purgatorium. 2. Mendoza in controvers. Theol. quest. 1. pag. 73. nec limbum, nec purgatorium, sed ipsum infernum intelligit. 3. Lorinus in hunc loc. sic commentatur: *Improbabile est, illas animas tandem (à temporibus usque Noë) in purgatorio fuisse. Est item incertum, an Christus tunc aliquas animas eduxerit de purgatorio.* 4. Salmero in Comment. h. l. cum dixisset, quosdama ex Catholicis de purgatorii carcere verba Petri interpretari, subjungit. Sed ex alio hoc sensu &c. 5. Bellarminus d.l. scribit, hunc locum Petrinum semper obscurissimum fuisse habitum. Similiter Salmero ibid. (Atqui ex loco obscurissimo & variis interpretationibus exposito non potest controversum fidei dogma probari.) 6. Benedictus Arias Montanus in h. l. intelligit de prædicatione, Noë ac iis qui in arcâ inclusi factâ. 7. Jacobus Payva Andradius lib. 2. Defens. fidei Trident. observat, in textu esse τοιν existentibus, non vero erant. Hinc infert, Christum, qui jamdudum in Spiritu advenerat, prædicasse spiritibus illis, qui iam in inferno pœnas sue incredulitatis meritas inuunt, quod

Aaa

juste



*justis Noe arcam edificantis admonitionibus credere noluerint. (Se-  
quitur hac in parte Bedam, qui eandem expositionem am-  
pletebitur.) Sed quoque 8. Thomas part. 3. q. 52. artic. 2. ad 3.  
sequutus Augustinum.*

*Argum. 17. Hebr. 10. v. 25. Voluntariè peccantibus nobis post  
acceptam notitiam veritatis non relinquitur hostia pro peccato. Ex  
hoc loco, inquit Bellarminus lib. i. de Purgat. cap. 14. resp. ad  
2. habetur argumentum insigne pro purgatorio. Nam statim addi-  
tur adversativa particula, sed terribilis expectatio judicii & ignis  
& simulatio, qua consumtura est adversarios. Si enim iste ignis signi-  
ficaret solum ignem gehenna, sequeretur omnes, qui peccant post Bar-  
ptismum, necessario damnandos, vel certè Paulum inepte loqui. Si-  
milia de hoc dico Hebr. 10. ocurrunt apud Stapletonum  
part. 2. Promt. Cathol. pag. 182. Resp. 1. Ignis purgatorii non  
consumit, sed purgat, ac animæ in purgatorio & stantes non  
expectant terrible judicium, sed potius latam ex illo igne libe-  
rationem, ut nos docent Pontifices. Quà ergò veritatis specis  
ad purgatorium hic locus accommodari potest? 2. Bellarmi-  
nus ipse lib. i. de Verbo Dei cap. 17. resp. ad 3. argum. docet,  
*Apostolum non loqui de quocunque peccatore, sed de eo, qui peccat in  
spiritum sanctum, hoc est, qui voluntarie oppugnat cognitam & ex-  
ploratam veritatem. 3. Eadem est sententia Gregorii de Valen-  
tia, Vasquez, Riberæ & Iacobi Tirini. Et hanc ipsam 4 Cornel. à  
Lapide in Comment. Hebr. 6. & 10. latè probat. (Stante hac  
hypothesi, in fumum abeunt, quæ pro accendendo igne pur-  
gatorio ex hoc loco elicuntur.) 5. Apostolus loquitur de tali  
igni, qui devoratus sit adversarios. At qui ignis purgatoriū non  
ipsos peccatores, sed tantum peccata devorare singitur.**

*Argum. 18. 1. Johan. 5. v. 16. Qui scit fratrem suum peccare  
peccatum non ad mortem, petat & dabit ei vitam peccantibus non  
ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut ro-  
get quis. Peccatum ad mortem est peccatum finalis desperationis.  
Quare cum non vult D. Johannes, ut pro eo, qui in eo peccato è vita  
decessit, ore tur, certè hoc ipso significat, pro iis, qui alii peccatis ad-  
missis ex hac vita discedunt, utiliter & bona cum spe orari posse, ne  
fil. ab eis modi peccatis, si quid illis praterea expiandum in illis  
super-*



superest, penitus exolvantur, posuo quidem, quod in gratia aliqui discesserint. Roffensis artic. 37. col. 719. Gregorius de Valent. lib. de Purgator. cap. 3. p. 279. Canisius in opere Catech. q. 9. de pœnit. p. 308. Viguerius cap. 16. Inst. Theol. I. 4. v. 28. &c. Peltanus, Slotanus, Salmero & alii. Resp. 1. Lyranus in h. l. accipit de oratione pro viventibus. Similiter 2. Erasmus ad h. l. p. 618. 3. Cajetanus Jentac. 8. q. 3. agnoscit, Apostolum loqui de precibus, que pro viventibus funduntur, non pro defunctis. Similiter 4. Bartholomæus Petrus in Suppl. Comment. Guilielmi Estii 1. Iohann. 5. v. 16. 5. Lorinus in h. l. sic commentatur: Probabile arbitror, sermonem hic esse tantum de peccatis vivorum, & non de statu jam mortuorum cum mortali peccato. (Atqui hoc non esse probabile, sed certum, constat ex verbis ipsius Iohannis. Qui viderit aquæ & c.) 6. Iacobus Tiriæus in Comment. h. l. Qui scit, fratrem suum peccare, dummodo peccatum, non sit ad mortem, id est, dummodo non inducat certò, certitudine, morali eternam mortem, eo quod sit quasi insanabile, seu incorrigibile, petat pari fiducia spirituali vitam gratia reddi tali fratri, & dabitur ei. (Atqui vita gratiæ spiritualis post mortem fratri non redditur. Ergo non loquitur Iohannes de precibus pro defunctis.)

Argum. 19. Apoc. 5. v. 3. & 13. mentio fit creaturarum sub terra, per quas non possunt alii intelligi, quam qui sunt in purgatorio, quia damnati non dant benedictionem Deo, ac Patres non amplius erant in limbo, cum Iohannes hac scriberet. Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 8. Salmero tom. 14. Disp. 25. p. 222. Costerus cap. 16. p. 493. Canisius in opere Catech. q. 9. de Pœnit. p. 309. &c. Resp. 1. Bellarminus ipse non multum tribuit huic purgatorii fulcro. Sic enim scribit d. l. Utuntur nostri hoc loco, sed tamen non videtur multum urgere. Confer. idem ibi plurib. 2. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 6. fatetur, ab Ecclesiâ Romana nondum esse definitum, ubi sit purgatorium, an super, vel subtus terram. ac Maldonatus dicit tomo 2. Disp. de Sacram. p. 171. de purgatorii loco nihil certi colligi posse ex Scripturis. (Quomodo igitur per creaturas subtus terram existentes infallibiliter intelligi possunt animæ in purgatorio?) 3. Lyranus in Comm.



h. l. per creaturas subtus terram intelligit Dæmonas. (Feverdentius d. l. hanc expositionem insectatur: sed approbat eam Blasius de Viegā in cap. 5. Apoc. sect. 2. p. 238. sic scribens: Elēntem Johannem, quōd nullus neque in terra, neque in cœlo, neque subtus terram, id est, neque Angelus, neque homo, neque Dæmon, librum illum, quem viderat, posset respicere, nēdum aperire, unus ē viginti quatuor Senioribus animavit. Iacob. Tirinus in Comm. agnoscit, Gregorium & Rupertum per eos, qui sunt subtus terram, intelligere Dæmones ac damnatos, & addit: Coguntur enim omnes extortā confessione, vel saltē concessione, tam Christum, quam Deum pro Domino suo agnoscere ac revereri. Similia habent Lyra ac Pererius ibid. 5. Per creaturas subtus terram Ambrosius & Theodoreetus intelligunt mortuos. Huic expositioni obvertunt Pontificii, quōd mortui negantur Deum landare Psal. 6. vers. 6. Resp. Ipsimet Pontificii Interpretes agnoscunt, non negari ab-solutè confessionem in inferis, sed tantū nclāti &c. Lorinus in Psal. 6. Non est ex mortuis ullus, qui apud viventes agat memoria-m̄tui, non in inferno, sepulchro, qui celebrare apud morta-les nōmentum possit. Confer. Cornelius Jansenius ibid.

Argum. 20. Apoc. 6. v. 9. Sub altari vidit Johannes animas Martyrum, clamantes vindictam contrainterfectores suos. Resp. 1. Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 6. dicit, Ecclesiam Romanam nondum definitissime, ubi sit purgatorium. At si hic locus de purga-torio ageret, sciretur purgatorii locus. 2. Idem Bellarminus lib. ejusd. cap. 1. q. Hæc sententia &c. negat, Martyres venire in purgatorium. At hic locus agit de Martyribus. 3. Pontificii dicunt, animas in purgatorio torqueri igne, qui solā duratione ab infernali distat. At hæc animæ nihil de tormentis conqueruntur. 4. Blasius de Viegā in cap. 6. Apocal. comm. 4. sect. 8. per aras martyrum intelligit loca, ubi corpora martyrum sepulta. Postea subjungit ex Gregorio lib. 2. moral. c. 6. Magnus earum clamor, magnum est desiderium tum resurrectionis, tum judicii. (Nihil hīc de purgatorio audimus.) nec de eodem quicquam. 5. Jacobus Tirinus in h. l.

Argum. 21. Apocal. 15. v. 2. Et vidi tanquam mare vitreum, mixtum igni, & eos, qui vice-runt bestiam & imaginem ejus & nu-  
merus



merum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Mosis servi Dei & canticum Agni. Mare illud adumbravit Baptismum. Admixtio ignis non tantum denotat afflictiones temporales, sed ipsum unam ignem purgatorium. Fevardentius lib. 12. Theomachia cap. 10. n. 5. & seqq. Resp. 1. ex Bellarmino lib. 2. de Verbo Dei cap. 3. Ex solo sensu literali pertinetur firma argumenta 2. Glossa interlinearis ad h. 1. sic annotat: *Mare vitreum, quia in eo baptizatis datur Spiritus sanctus.* Eodem modo exponit Lyranus ibid. 3. Blasius de Viegas in Comm. Apocal. pag. 746. accipit de Victoribus AntiChristi. 4. Ribera ad h. 1. n. 2. de adseclis AntiChristi. 5. Jacobus Tirinus ad hunc locum. *Mare vitreum, crystallinum, pellucidum est calum empyreum, mystum igne, id est, coruscum splendore divinae presentiae, & fervens ardore caritatis Sanctorum.* (In cœlo autem esse purgatorium, nemo dixerit.)

3. Patres magno numero citant pro aſtruendo purgatorio. Origenem, Nyſſenum, Nazianzenum, Theodoreum, Oecumenium, ex Gracis, Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum Augustinum, Eusebium Emſſenum, Gregorium, ex Latinis. Resp. 1. Origenis autoritatem ipsimet paſſim repudiant. Gretferus lib. 2. de jure & more prohibendi libros noxios cap. 10. Fuit Origenes olim in veteribus Synodis damnatus, & Gelasius Pontifex Tertullianum & Origenem, et ſi Patres valde antiquos, lege latâ manibus orthodoxorum excusit. Quinimò in hoc ipſo purgationis dogmate erroris ipſum accusant. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 1. Origenes sine ullâ excusatione aut commoda explicacione tenuit, purgari debere tam bonos, quam malos, uno Christo excepto, post hanc vitam. Confer Sixtum Senensem lib. 5. Bibl. annot. 131. 2. De Nyſſeno Græci in ſua Apolog. ſcribunt, quod restitucionem omnium adeoq; etiam dæmonum adſeruerit. 3. De Theodoreto, quem citat Thomas in Catena, Græci dictâ Apologiâ negant, quicquam de purgat. illum habere. 4. Ambrosium, Hilarium, Hieronymum, Lactantium, Rupertum Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 1. numerat inter eos, qui statuerunt, omnes animas ignis divini paſſuras examen, et ſi non omnes cruciatum. Primus, inquit, error fuit, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Chri-



sto excepto. Hec sententia solet tribui Alcuino: sed videtur non esse ejus solum, sed multorum Patrum. Postea illorum nomina iubicit. Et si in hoc ipso purgationis dogmate erroris peraguntur, quomodo testes veritatis poterunt statui?) 5. Turrianus præfat. Græcā in Διατάγες Clementis locum Nazianzeni, quem pro purgatorio ex orat. in sancta lumina Bellarm. adducit, fraudis Origenistice suspectum quibusdam visum fuisse memorat. Adde, quod Nicetas in orat. Nazianz. in sancta lumina recte moneat, Nazianzenum de igne inferni loqui. Confer dicta superius lib. I. part. 2. cap. 13. n. 4. 6. Ipsimet Pontificii non amplectuntur omnia, quæ Patres de purgatorio tradunt. Alfonso Mendoza in controv. q. 6. p. 77. adducit quosdam Patres, qui statuerunt, damnatorum etiam pœnas per suffragia viventium mitigari posse, quam tamen sententiam ut falsam repudiat p. 481. Conf. Gregor. de Valent. lib. de Purgat. cap 5. p. 281. (Quod si ergo Pontificii non existunt, in omnibus se teneri ad assensum præbendum Patrum dictis: utique nec nos ad eorum expositiones atque opiniones absolutè & simpliciter astringere debent.) 7. Ex illis Patrum scriptis testimonia pro purgatorio sibi afferunt, quæ alii ex ipsis Pontificiis repudiant & supposititia esse agnoscent. Primum ex Patribus testimonium Bellarminus lib. I. de Purgator. cap. 10. producit ex Constitutionibus Clementis. Sed eas inter scripta Apocrypha ab omnibus numerari tradit. Baronius tom. 2. ad annum 102. & fatetur ipse Bellarminus lib. de script. Ecclesiast. p. 59. & lib. 2. de Rom. Pont. cap. 2. Sic idem Bellarminus lib. I. de Purg. c. 10. Campianus rat. 5. & Anglo-Rhemenses in c. 17. Act. v. 43. adducunt testimonium Dionysii Areopagitæ de Hierarch. Eccl. Sed librum hunc non esse genuinum Dionysii illius Areopagitæ, cuius in Actis Apostolicis fit mentio, & cuius nomen præ se fert fictum, sed scriptum suppositum, testantur Sixtus Senensis lib. 6. annot. 229. Cajetanus & Erasmus in cap. 17. Actor. Sic idem Bellarminus d. I. purgatorium probat ex Homil. 3. de Epiphania Eusebii Emesseni. Sed Homilias illas supositicias esse, docent Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. tit. Eusebius; ac Baronius ad annum 441. Sic idem Bellarminus purgatorium probat ex



ex libro Damasceni de illis, qui in fide migrarunt. Sed hunc librum non esse Damasceni afferit, ac proinde testimonium ex eo adductum rejicit idem Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 8. Plura hujus generis occurunt in iis, quæ lib. 1. part. 2. c. 13. adduximus. 8. Talia Patrum dicta pro astrictuendo purgatorio afferunt, quæ de alio igne, quam purgatorii Pontificii igne agunt. Cœp. patet ex collat. l. 1. Bell. de Pur. c. 10. cum ejusd. lib. de Purg. c. 1. §. Adde. it. l. 1. de Purg. c. 10. cum Sixto Senensi. §. Annot. 171. it. Bellarm. l. 1. de Purg. c. 6. cum Sixto Senensi l. cit. 9. Adduximus superius confessionem quorundam Pontificiorum, quod apud Patres antiquissimos, Græcos præsertim, nulla purgatorii mentio fiat. (Quomodo igitur ad unanimem Patrum consensum provocare poslunt?) 10. Interdum adducunt talia Patrum dicta, quæ alii fatentur esse corrupta. Bellarminus lib. n. de Purgator. cap. 6. adducit dictum Theodoreti in scholiis 1. Corinth. 3. *Hunc ignem purgatorium credimus.* Sed Sextus Senensis lib. 6. annot. 258. verba illa *nec in Gracis, nec in Latinis.* Theodoreti Commentariis extare afferit. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 11. in loco Gregorii agnoscit quoddam mendum Scriptorum. Sed ei contradicit Pineda in cap. 20. Jobi v. 26. 11. Plerosque Patrum nullum omnino agnoscisse purgatorium, quale Pontificii agnoscent, probamus hoc modo. Suarez tom. 2. in Thom. p. 3 q. 59. artic. 6. se et. 1. §. Veruntamen. &c. sic disserit: *Qui opinantur, animas hominum non judicari in morte, nec premisum, nec paenam recipere, sed reservari abditis locis usque ad judicium Universale, consequenter dicunt, eas non purgari, donec facta est generalis resurreccio & judicium, ex quo satis consequenter dicere potuerunt, purgandos esse homines igne conflagrationis.* Subsumo. Plerique Patres hoc opinati sunt, ut probavimus lib. 1. part. 2. cap. 13. n. 3. §. 6. ex Sixto Senensi lib. 6. Biblioth. annotat. 345. Stapletono lib. 1. de autorit. Script. cap. 5. §. 2. Vasquez tom. 1. in Thomam Disput. 19. cap. 1. n. 1. Conclusio sponte emergit. Ergo plerique Patres statuunt, animas non purgari, donec facta est generalis resurreccio. 12. Pontificii unanimem Patrum consensum ad fidei dogmata stabilienda & in fallibilem Scriptura expositionem requirunt. (Sed non posunt  
impediti)



possunt pro purgatorio cohsidentes Patrum sententiae & expositiones proferti.)

IV. Rationes. Primo, ab orationibus pro defunctis. Si est traditio Apostolica, orandum esse pro defunctis, quis non advertat, continuo inde sequi, animas quorundam post hanc vitam esse in paenit temporalibus, & per consequens dari purgatorium? Nam non oratur pro illis, qui sunt in caelo, nec pro illis, qui sunt in inferno. Bellarminus lib. i. de Purgat. cap. 9. 10. & 15, Canis. in opere catéch. q. 9. de paenit. pag. 303. Costerus in Enchir. cap. 16. pag. 497. & alii complures. Resp. i. Innocentius III. c. cum Marthæ, s. ult. ext. de celebrat. Missarum sic loquitur: Nonnulli antiquiores crediderunt, beatorum gloriam semper usque ad extremum Dei judicium augeri posse, indeq; colligebant, licet ad Deum preces fundere pro gloria illius sanctorum incremento. Alphonsus Mendoza in controvers. Theol. q. 6. p. 480. Quidam dixerunt, preces ventium prodeesse mortuis ad augmentum glorie. (Ergo ex precibus pro defunctis non statim probatur purgatorium. In Liturgia Chrysostomi etiam oratur pro sanctis defunctis. Offerimus tibi hunc rationalem cultum pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, quam orandi pro Apostolis & Martyribus formam in Ecclesia Rom. merito per consuetudinem exolevisse, scribit Mendoza in controv. Theol. q. 6. Schol. p. 492. Epiphanius heresi 75. testatur, quod oraverint pro justis & peccatoribus, ubi nomine peccatorum intelligit manifeste impios, ut seipsum declarat. Damascenus in sermone de defunctis probat aliquot exemplis, etiam pro damnatis recte orari. Quod si Pontificii nolunt obligari his veteri dictis & exemplis, nec nos illis astringere possunt; ac si etiam pro sanctis & manifeste impiis olim orarunt, utiq; ex precibus pro defunctis non statim probari potest purgatorium.)

2. Ludovicus Nogarola de Apostol. instit. tradit. 32. orationes pro defunctis fatetur, non tam ex Scriptura esse, quam ex traditione, quod confirmari potest ex Caroli Magni lib. 2. de Imag. cap. 31. ubi orationem pro defunctis vocat Ecclesiasticam constitutionem. Idem dicit: Secundum Ecclesiasticum usum poscimus veniam nostris. Quia & ex Epiphanio heresi 75. contra Atianos, & qui eo antiquior est, Tertulliano lib. de coron. milit. cap. 4.

(Atqui



(Atqui ostendimus superius, lib. i. part. i. cap. i. quosdam ex ipsis Pontificiis agnoscere, quod articuli fidei ex Scriptura probari debeant.) 3. Vincentius in Speculo lib. 25. cap. 89. sic habet: *Presbyter die obitus sui trigesimo apparuit amico suo, preces, jejunia & eleemosynas vivorum nibil prodefesse mortuis, afferens quod Dei iudicia sunt immutabilia.* (Quod si preces defunctis nihil prosunt, utique ex illis non potest probari purgatorium.) 4. Agnoscent ipsimet Pontificii, plurimi ex veteribus fuisse persuasum, animas detinens in locis quibusdam, expectantes diem iudicii ultimi, id est, divinam de seipsi sententiam, destinatas adhuc beatificam visione Dei, ut ostendimus lib. i. part. 2. cap. 13. membro 5. §. 6. Hæc etiam fuit ipsis causa orandi pro mortuis, non purgatorium. Nam in purgatorio tormenta sunt praesentia, à quibus postulantur animæ liberari: deinde non expectatur ultimi iudicii dies, imò nulla alia sententia, sed duntaxat præstitutum tempus, quo exacto, nullâ novâ interveniente cognitione evolatur in cœlos. (Atqui sententiam illam veterum Pontifici agnoscent, esse erroneam. Ecce igitur orationes pro defunctis eidem superstructas nobis objiciunt?) 5. Alphonsus de Castro responsurus ad argumentum, quod Ecclesia pro defunctis sic oret: *A porta inferi erue Domine animas eorum.* scribit inter alia, non semper dubitari de illis, quæ pertinentur. (Ergo quamvis pii veteres certi fuerint, in fide Christi defunctos esse cœlestis gaudii participes factos, orare tamen poterant, ut Deus eos cœlestis gaudii participes faceret.) 6. Georgius Caslander in consultat. cap. de iterat. Missarum pag. 1003. concedit, quod preces piorum veterum pro defunctis non fuerint satisfactiones pro peccatis defunctorum, nec redemptiones animarum ex purgatorio, sed publicæ celebrationes & obsignationes divinarum promissionum, consolationes lugentium, declaraciones piorum affectuum erga defunctos &c. quomodo etiam Dionysius in Hierarch. Eccles. part. 2. cap. 7. veterum consuetudinem interpretatur, ὁ ιεράρχης, inquit, πρῶτον τελῖ τὴν ἡγέτην Θεὸν εὐχαριστίαν εὐχήν, Pontifex primū precem gratiarum actionem proferebat; deinde οἱ λειψόντοι ministri promissiones de resurrectione recitabant, & postea ministrorum primus dimitibat

Bbb

tibat



rebat Catechumenos sanbosq; defunctos, & nuper mortuum pari lani-  
datione prosequebatur & hortabatur, ut & sibi ipsis beatam in Chri-  
sto consummationem precarentur: Denique & iegidixns precem sacra-  
tissimam super defuncto peragebat, & post orationem ipse Pontifex  
cum, qui obdormiverat, salutabat, & qui post illum astabant reli-  
qui omnes, formulis illis usi, Vale & Salve: aeternum salve: Cujus rei  
etiam uicentum testimonium esse potest illud Augustini lib. 9.  
Confess. cap. 13. orantis pro matre sua defuncta. Credo, inquit,  
quod jam feceris, que rogo, sed voluntaria oris mei approba Domi-  
ne. Ambrosius in orat. de obitu Valentin. Imperat. pollicetur,  
se pro Imperatoribus oraturum. Nulla dies, inquit, vos silentio  
prateribit: nulla nox non donatos aliquā precum mearum contexio-  
ne transcurret. At num Valentianum purgatorii penitus ob-  
noxium putabat? minimè verò, dicit enim paulò antè Creda-  
mus, quia ascendit è deserto, id est, ex hoc arido & inculto loco ad  
ellas florulentas delectationes, ubi cum fratre conjunctus, æterna vi-  
ta fruatur voluptate: In orat. de obitu Theodosii inquit: Ma-  
net ergò in lumine Theodosius, & sanctorum catibus gloriatur. Nihil o-  
ramen minus pro iis orat. Da, inquit, requiem perfectam servo  
tuo Theodosio, requiem illam, quam preparasti sanctis tuis &c. 7. Sal-  
mero tom. 14. Disp. 25. p. 220. §. Secunda &c. sic differit: Mi-  
nus solida consequentia est. Pro aliquo oratur. Ergò est in purgatorio,  
quia sapè precatioes sunt pro eo, qui punitur in gehenna. quando-  
quidem animarum status & conditio in certa nobis relinquitur.  
Confer. idem Disputat. 26 pag. 235. 8. Stapletonus part. 2.  
Prompt. Cathol. pag. 285. hoc habet: Recentiores isti Græci schi-  
smarici huiusmodi locum (purgatorii) agnoscere nolunt, pro defun-  
ctis tamen fidibus nihil minus orant. (Ergò preces pro defunctis  
non statim inferunt purgatorium.) 9. Bellarminus lib. 1. de  
beat. sanctor. cap. 2. §. 1. adducit locum Innocentii III. c. Apo-  
stolicam ext. de Presbyt. non baptizato, ut probet, fideles ante  
diem judicii visione Deifrui. Atqui idem Innocentius pro eo  
dem Presbytero, quem cœlestis patrie gaudium adeptum esse asse-  
rit, preces & oblationes fieri, ibidem jubet. Quod si ergò Bellar-  
minus Innocentii autoritate stare velit, agnoscere cogitur,  
ex precibus pro defunctis non posse probari purgatorium.)  
10. Idem



10. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgator. cap. 5. §. Verum istæ &c. Orationem illam, quæ in sacrificio Missæ recitatur, Domine Iesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu &c. explicat de liberatione à rigore extremi judicij. Atqui eodem modo ad orationes veterum pro defunctis respondere possumus, quod scilicet beatam corporum resurrectionem & liberationem à rigore extremi judicij, non liberationem expurgatorio respiciant. 11. Alphonsus de Castro lib. 12. advers. hæres. fol. 264 sic differit: *Sepissimè petuntur illa, que certò sciuntur eveniura, ut petuntur: & hujus rei plurima sunt testimonia &c.* Idem statuunt Bellarminus lib. 2. de Purgator. caq. 5 §. Dux igitur &c. (Pari ratione non frustra oratur pro resurrectione gloriose pie mortuorum, licet credamus & sciamus, illos certò ad vitam resurrexiros, ac proinde ex precibus pro defunctis non statim sequitur Purgatorium.) 12. Idem Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 8. §. ultimò. *Liturgiam Chrysostomi, in quo oratur pro Apostolis & Martyribus, sic explicat: Offerri pro sanctis & Martiribas, non ut remittantur eis peccata, sed ut gratia agantur, unde nominat sacrificium gratiarum actionis, ac habet pro oblatione non propitiatoria, sed Eucharistica.* (Eodem modo preces veterum pro defunctis explicare possumus, quod non fuerint satisfactorie, vel propitiatoria pro defunctorum peccatis expiandis, iisdemque ex purgatorio liberandis, sed Eucharistica & gratulatoria.) 13. Idem Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 18. §. 3. testis est, Orationem illam, quæ in antiquis Missalibus in die S. Leonis dicebatur, *Annue, queso, Domine, ut anima B. Leonis hec pro sit oblatio, etiam hodie, quamvis paululum immutatam in secreta Oratione in eodem festo à Sacerdote in Rom. Ecclesia dici, & ad argumentum ex ea petitum respondet §. 16. fortasse peti gloriam corporis, quam habebunt sancti in die resurrectionis. Stante hac responsione, ex precibus pro defunctis non potest probari purgatorium.* 14. Petrus de Purgat. cap. 9. pag. 341. adducit orationem Clementis Romani lib. 6. Constitut. Apostol. ex quâ videre est, quod veteres orârint etiam pro illis, quos in alteram vitam, adeoque in statum æternæ felici-

Bbb 2

felici-



felicitatis & gloriae jamdum translatos crediderunt.) 15. Deinde Pontificii non consentiunt in quaestione de oratione pro mortuis. Plerique enim statuunt, eam ex traditione ἀγέων descendere. Sed Tyskivitus in Theol. Antilogica eam deducere conatur ex Thren. 2. v. 19. *Leva ad eum (Deum) manus tuas pro anima parvolorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.* Sed Resp. Jeremiam ibi de vivis agere, non de mortuis. Cornelius à Lapide in h. l. quidem addit. *Quare minus recte hec aliqui referunt ad preces pro animabus existentibus in purgatorio, quod hinc probare contendunt, cum alia clara argumenta suppetant.*

Ratio 2. à reliquiis peccati originalis. Reliquiae peccati originalis semper harent in renatis, quādīn vivunt, juxa Protestantum hypothesin. At in cœlestem Hierosolymam nihil intrabit coinquarum Apoc. 21. v. 27. Ergo anima a peccati originalis reliquiis in purgatorio expargande. Beccanus tom. 2. opusc. 10. cap. 1. lib. 1. Manual. cap. 8. n. 49. Peltanus de Purg. cap. 10. pag. 356. &c. Resp. 1. Infantes statim post Baptismum decedentes & Martyres, ex hypothesi Pontificiorum, non veniunt in purgatorium. At illi non minus, quām reliqui homines peccati originalis somitem ac reliquias adhuc circumgestant. 2. Inde Bellarminus libr. 2. de Purgat. cap. 9. §. Alter error &c. negat, Pontificios propter somitem purgatorium statuere. 3. Salmero tract. 14. Disput. 26. pag. 228. disputat, per infirmitates & dolores mortis quos quisque fidelis patienter in fide & caritate tolerat, purgari animam à reliquiis peccati. Cum quo consentit Costerus in Enchirid. art. 16. pag. 492. (Ergo propter reliquias peccati originalis non est opus introducere purgatorium.)

Ratio 3. à reliquiis peccatorum venialium. Fieri potest, ut homo cum solis venialibus peccatis ex hac vita decedat, à quibus post hanc vitam ante ingressum in regnum cœlorum purgandus. Ergo datur purgatorium. Bellarminus libr. 1. de Purgator. cap. 11. Beccanus libr. 1. Manual. cap. 8. n. 45. Stapleton. part. 2. Promt. Cathol. p. 278. &c. Resp. 1. Repetimus dictum Salmeronis, quod per infirmitates & dolores mortis, quas quisque fidelis patienter in fide & caritate tolerat, anima purgetur à reliquiis peccati. Ergo, ut



gò, ut propter originalis peccati reliquias non opus est introducere purgatorium, ita quoque ex peccatorum actualium reliquiis illud probari nequit. Addit quidem Salmero, non esse prorsus certum, an quis q̄d fidelis in totum purgetur, ut Lazarus; an ex parte, ut reliqui omnes, qui hinc decedunt, ac verosimiliter probabilius esse, non semper, nec necessario omnes peccati reliquias in morte exolvi. Sed quilibet videt, ipsum petere principium. Quando enim id ipsum probare debet, subjungit, quoniam si omnia expurgaret mors, frustrà esset purgatorium, frustrà essent orationes & oblationes vivorum pro defunctis &c. Huc referri potest, quod Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 9. s. Credibile &c. concedit, reliquias propensiones ad malum tolli per primum actum contrarium anima separata, quem statim à separatione elicit; quodq; Petrus à Soto in assertione fidei Catholicae fol. 80. statuit, purgari multos à leviorib. peccatis ipso mortis cruciatu.) 2. Martyres, ex hypothesi Pontificiorum, non veniunt in purgatorium. Afieri potest, ut ipsi quoque cum reliquiis peccatorum venialium moriantur. 3. Pontificii statuunt, pénitentiam virtualem sufficere ad remissionem peccatorum venialium. Ita dissertè Baldinus Junius in Manuali Theologico libr. 18. cap. 3. dogm. 8. Emmanuel à Sa in Aphorismis pag. 330. Harphius libr. 2. myster. Theolog. cap. 2. p. 127. peccatum veniale per solam displicentiam remitti afferunt. (Jam verò nullus verè pius & fidelis moritur, qui non habeat virtualem illam pénitentiam. Ergò nullus verè pius & fidelis propter peccata venialia descendit in purgatorium.) 4. Pelanus de Purgat. cap. 6. p. 276. seqq. largitur, nullum peccatum veniale ut culpa est, ad purgatorium deferri, utique ergo ad venialium peccatorum culpam expiandam nullo opus erit purgatorio. 5. Inde Maldonatus tomo 2. Disput. de Sacramentis pag. 174. sic scribit: Non credo, verum esse, quod dicunt aliqui, purgatorium esse factum à Deo propter peccata venialia. Nam cum Theologi deceant, quolibet bono affectu & qualibet actione caritatis remitti peccatum veniale, quid opus fuisset ad remittenda peccata venialia facere purgatorium?

Ratio 4. à debito penarum temporalium post culpm mortalem remissari. Cum reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur



semper, cum peccato tota pœna temporalis, ac potest fieri, & sepè fit, ut in tota vita aliquis non satisficerit plenè pro temporali illa pœna. Ergo necessariò statui debet purgatorium. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. ii. Beccanus lib. 1. Manual. cap. 8. n. 32. Gregorius de Valent. cap. 3. de Purgat. p. 279. &c. Resp. 1. Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 12. resp. ad 6. object. disputat, mortem latronis conversi durissimam potuisse juste in plenam satisfactionem reputari. Ergo etiam infirmitates & dolores, quos pii in morte sustinent, poterant in plenam satisfactionem pro pœniis temporalibus reputari.) 2. Infantes baptizati ex hypothesi Pontificiorum, non veniunt in purgatorium. Idem tamen multis calamitatibus, post remissam culpam sunt subjecti. Ergo ex illis calamitatibus, quibus fideles adulti post impetratam peccatorum remissionem subjecti sunt, colliginequit, quod sint obligati ad debitum luendæ pœnæ temporalis, vel in hac vita, vel in purgatorio. 3. In articulo de pœnitentia ex quorundam Pontificiorum suffragiis ostendemus, nec pro culpa, nec pro pœna à nobis Deo satisfieri posse. (Falsa igitur est hypothesis, quæ argumentum hoc nititur.)

Ratio 5. ex consequenti incommmodo. Opinio, quæ tollit purgatorium, non solum falsa est, sed etiam perniciosa. siquidem homines socordes facit in peccatis cavendis & bonis operibus faciendis. Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. ii. &c. Resp. 1. Per inversionem. Opinio de purgatorio alit potius peccandi licentiam, quia tradit, ex flammis illis per aliorum suffragia, quæ ditiores facili negotio sibi comparare possunt, liberationem obtingere. Albertus Magnus de offic. Misericordia art. 3. cap. 16. Tot possunt fieri suffragia pro uno aliquo, quod statim in momento liberatur. Et ideo in hoc solo casu melior est conditio divitis, quam pauperis, quia habet, unde suffragia sicut pro ipso. 2. Pontificii dominant errorem Novatianorum docentium, Christianis semel lapsis redditum, non patere ad gratiam. (Atqui pro stabiliendo isto errore eodem modo quis argumentari posset, quod opinio, quæ tollat assertionem Novatianorum, homines socordes faciat in peccatis cavendis.) 3. Roffensis art. 18. contra Lutherum scribit, in primitiva Ecclesia purgatorium non fuisse norm. (At in primitiva



mitiva Ecclesia vel maximè viguit pietas.) 4. Doctrina de Purgatorio desiderium moriendi in cordibus piorum extinguit, & vivificam consolationem ipsis adimit. Non diffitetur id omnino Bellarminus libr. 1. de Purgat. cap. 15. §. Ad illud. 5. Bellarminus libr. 1. de Indulgentiis cap. 14. §. Quartò requiritur &c. sic dissetit. Sed hæc Cajerani sententia, ut est utilis & pia, quia excitat viventes ad bona opera, ita videtur minus vera & ab omnibus passim refellitur. (Si sententia quædam utilis & pia, excitans ad bona opera est minus vera & ab omnibus passim refellitur, utique ex eo, quod doctrina de purgatorio homines excitat ad bona opera, non potest inferri, quod hæc doctrina sit vera.) 6. Doctrina de poenis inferni æternis maximè reprimit studium peccandi. videatur Scribanus Institut. politico Christianæ cap. 27. p. 392.

Ratio 6. ab exemplis eorum, qui in hanc vitam revocati. Salmeron. tom. 14. Disp. 25. tale nescit argumentum. Constat ex Evangelio & Actis Apostolicis, multos fuisse ad vitam revocatos, ut puellam filiam Archisynagogi, adolescentem filium video & Lazarum à Christo; Dorcadia à Petro, Eutychen aurem puerum à B' Paullo. Ipsi autem mortui ab inferno non sunt revocati, quia ab illo loco nullus evadit: nec etiam sunt à beatitudine jam adepta excitati, quia tunc resurrectio non esset beneficium, quod à celesti gloria deiceret. Dicendum ergo est, locum medium Purgatorii fuisse, in quo post mortem ad tempus manserunt, donec redirent ad vivos post resurrectionem. Idem argumentum urget Bailius Jesuita in Cartech. controversial tract. 2. q. 43. Resp. 1. Lorinus in cap. 20. v. 10. quæstionem, ubi fuerint anime revocatorum in hanc vitam, vocat oriosam. Ergo non tenemur ad eam respondere. 2. Pelitanus de Purgatorio cap. 10. argumentationem non necessariam esse, agnoscit, cum ex omnibus sedibus quidam remearint. Vid. 3. de Dorcade Lorinus in Comment. Actor. 9. 4. Bellarminus libr. 2. de Purgatorio cap. 8. statuit, ex celo & inferno quosdam ad vitam revocatos fuisse. Blasius Viegas in cap. 11. Apocal. Comment. 5. sect. 5. disputat. opinionem illam, que Paradisum terrestrem jam non existere, sed aquis diluvii obutum & planè dissipatum perisse, atque adeò Enoch & Eliam in eo non esse factum,

effe



esse probabilem, & divinis literis consentaneam. Locum vero, ubi  
jam est Enoch, esse amoenissimum, sed nobis incognitum. (Quod  
si ergo alio responso destituti Lazarum ac Thabitham in amoe-  
no illo loco detentos fuisse diceremus, donec in hanc vitam  
revocarentur, quid possent nobis curiosi isti disputatores op-  
ponere?

#### APPENDIX HUJUS ARTICULI,

### QUERELAS, CALUMNIAS ET OPI- NIONES ABSURDAS ET ERRONEAS AD- VERSARIORUM COMPLE- CTENS.

#### I. QUERELAE.

1. Pistorius in Hodeg. cap. 12. p. 545. *Infernale mendacio-  
cum esse scribit, si quis ex Platonica Philosophia dicat Ecclesiam  
purgatorium didicisse.* Resp. Bellarminus lib. 1. de Purgator. e.  
11. inter cetera purgatorii fundamenta recenset communem o-  
piationem omnium gentium, ac nominatim meminit Platonis.  
Quinimodo, ut Platonem magis suum faciat, Augustinum corri-  
git lib. 21. de Civitate Dei cap. 13. scribentem, *Platonicos nul-  
las pœnas purgatorias, agnoscere post mortem.* Conf. Idem Bel-  
larmin. l. 1. de Purgat. cap. 2.

2. Per calumniam sibi tribui conqueruntur, quod pecunie  
aucupande causâ purgatorium tam acriter propugnant. Resp. 1.  
Johannes Fischerus art. 37. col. 725. captationem illam lucri  
non omnino diffitetur. 2. Salmero inter salutares purgatorii  
fines & effectus numerat amplificationem cultus Dei ex legatis,  
qua pro Ecclesie facillis instituantur. tom. 14. Disp. 25.

#### II. CALUMNIÆ. Generales.

1. Bellarminus lib. 4. de Eccl. cap. 9. §. Aëriani &c. con-  
jungit nos cum hæreticis Aërianis, propterea quod negemus, oran-  
dum esse pro defunctis. Conf. idem lib. 1. de Purg. cap. 2. Resp.  
1. ex Alphonso de Castro adv. hæref. tit. Cibus, & tit. Nuptiæ  
ex Philastro. Tatianorum heresi adhæsit Aërius, dicens: Non licet  
revesci carnibus. Item. Aërius in eo errore fuit, ut neminem ad com-  
munionem admitteret, nisi continentes. (Ergo ob errores in dog-  
maticis



maticis Aërius hæreos fuit damnatus, sicut Epiphanius d. l. memorat, Aërium fuisse Arianum in totum.) 2. Nec Theodoretus, nec Historia Ecclesiastica Aërianorum tanquam hæreticorum meminit, et si ante Socratem, Sozomenum, Evagrium vixerit Aërius, quæ tamen eadem Historia Eccl. Eustathianos contemporaneos sàpè commemorat hæreticos. Epiphanius quidem hæresi 75. scribit, *Aërium docuisse, mortuis vivotum preces non prodeſſe*, sed eam sententiam in Aërio ab Ecclesia antiqua, tanquam hæresin damnatam esse non dicit, eamque non ex ullo Scripturali loco, quod fieri omnino oportebat, fieri eō modō sese haberet, sed tantum ex traditione à Patribus acceptâ refutat. August. de hæresibus c. 53. non affirmativè, sed dubitanter afferit, Aërium id docuisse. Fertur, inquit, *docuisse*.

2. Jodocus Ravenstein in Confut. Confess Antuerp. probare vult, quod Purgatorium in *Apologia Augustana Confessionis approbatum sit*, quo fine adducit c. 20. f. 116. hæc verba, & quidem majusculis literis descripta ex articulo de Missa. *Scimus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quam non prohibemus. Cum igitur pro mortuis nihil à Deo rite postulare possumus, sijam in eterna requie & pace constituti sint, manifestè constat, eos pro quibus orationes riceſunt, adhuc retineri in loco aliquo, donec plenâ peccatorum remissione obtentâ ad quietem eternâ admittantur. Hic lector aliud cogitare non potest, quâm Apologiz esse omnia illa verba, cum ejus nomine à Ravensteinio citentur, & propterea majusculis literis exprimantur. Sed manifesta fraude est, cum hæc tantum sint Apologia verba p. 74. Scimus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quam non prohibemus. Conf. Dn. D. Meifnerum de Purgat. c. 9. p. 865 ubi pleniùs de hac fraude lectorem monet. Cæterum, quando Apologia dicit, nos non prohibere orationes pro defunctis, tum non intelligit oblationem pro defunctis, quâlibet liberentur ex loco tormentorum, sed stylo veteris Ecclesiarum *vora* quibus defunctis optamus requiem, de ipsorum beatitudine bene sperantes, & nos ad similem exitum cohortantes. Origenes lib. 3. in Job. *Infide morientium devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerium gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.**

3. Fevardentius lib. II. Theomach c. 6. n. 16. Nulli Protestantes utuntur religiosis Ceremoniis in funere suorum, nec maiorem curam impen-



impendunt iis, quam si maleficorum corpora forent, que raperentur ad gemonias, vel brutorum cadavera, quae in sterquilinia & loca congestia traherentur. (Manifesta praxis contrarium testatur.)

4. Flavianus Monachus in lib. de Purgat. cap. 24. referente Bleffkeno in suo Refrigerio cap. 9. f. 71. Lutherani & Zwingiani suos mortuos, ut asinos aut mortuos equos abiciunt, eo quod neq; anima immortalitatem, neg; carnis resurrectionem credant. (Contrarium testantur Symbolici Ecclesiarum nostrarum libri.)

5. Peltanus de Purgat. cap. II. pag. 379. Illi ipsi quoque, qui sectis addicti purgatorium negant, non diffentur, ante Christum passum tria aut quatuor ejusmodi domicilia extitisse, nimirum infernum, Abraham simum, puerorum limbum & cœlum empyram, quamvis istud ad illud usque tempus omnibus hominibus oclusum fuerit. (At duo tantum animarum receptacula, tum ante, tum post Christi passionem statuimus, cœlum scil. & infernum.)

6. Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 10. art. 5. pag. 1094. Lutherani, qui cuilibet ad solam fidem regnum cœlorum promittunt, negant, fidelibus hoc judicium esse metuendum. Hinc illi Auguste Vindelicorum judicij extremi effigiem imprimentes desertis verbis apposuerant, quemlibet in illa die secundum fidem remunrandum fore. Lindanus Dial. 1. Dubitantis air, se hujusmodi effigiem in Suevia vidisse. Resp. 1. Norma judicij erit Christi verbum Joh. 12, 48. Heb. 4, 21. quod complectitur legem & Evangelium. 2. Pii non ex lege, sed ex Evangelio judicabuntur, & in judicio absolvantur, quin & in possessionem æternæ hereditatis vocabuntur. Impii ex lege judicabuntur, & quia in Christum, qui est legis impletio, non crediderunt, damnabuntur. 3. Opera in judicio producentur, tanquam externa interioris fidei in piis, & interioris incredulitatis in impiis testimonia. 4. Augustinus ante nos docuit in enarr. Psal. 100. formidandum esse malis in judicium propter pœnam, amandum bonis propter coronam.

## II. In specie.

1. Bellarminus libr. 4. de Verbo Dei cap. 4. & libr. 1. de Purgatorio capite 2. Lutero objicit inconstantiam, quod primum purgatorium planè Catholice admiserit in Disputatione Lipsensi; deinde admiserit quidem, sed multis admisis erroribus, qui reperiantur inter articulos à Leone damnatos, tandem vero simplici-



gliciter sustulerit in lib. de abroganda Missa privata. Idem objicit Gregorius de Valent. cap. 2. de Purgat. p. 273. Resp. 1. Lutherus in prefatione tom. I. Lat. priora sua scripta non solum cum iudicio, sed etiam cum commiseratione legenda esse admonet, si quidem erroribus Papisticis tum fuerit altè adhuc immersus. In assert. art. 37. dicit, se credere purgatorium non ut rem certam, sed ut probabilem, sicut erat, Thomam Aquinatem esse sanctum, quod non credidit fide in fallibili ac certâ. Tandem in publico scripto Germanico Ann. 1530. edito, purgatorium oppugnat. tom. 5. Jen. German. f. 161. (Revocatio errorum non est signum inconstantia culpabilis, sed profectus in veritatis agnitione laudabilis, quâ de res sic scribit Lutherus tom. 3. in libro contra Regem Angliae fol. 52v. Si hoc est, sibi non constare in dogmatibus, ut Rex Thomisticus definit, si quis aliter sentiat cognitâ veritate & errore revocato, quam antea senserat, obsecro, quis vel sapientissimorum, vel sanctissimorum virorum sibi unquam constituit? Damnabimus Epistolas Pauli universas, quod ille post conversionem penitus stercora vocat, quae antea in judaismo sibi lucra fuerant. Damnemus & Augustinum, qui singulari libro multa retractavit, & longè contraria primis docuit. Quin iuxta hujus Regis sapientiam inestimabilem peccatores definant paenitentia, & sententiam in melius mutare, ne Rex Anglia iratus libro edito damnet eos inconstantia & dissensionis proprie.) 2. Luther. etiâ primis jam dum annis non habuit Purgatorium profidei articulo, ceu patet ex enarrat. Evang. die Epiphan. ex Matth. Ann. 21. edita. Conf. idem tom. 4. Latin. pag. 368.

2. Wilhelmus Lindanus lib. 4. panopl. cap. 53. p. 32. scribit: Lutherus purgatorium in mortem usque & credidit & docuit. (Contrarium testatur Bellarminus ipse lib. 1. de Purgat. cap. 2.)

3. Gretserus lib. 3. de funere Christiano cap. 7. pag. 179. sic scribit: Dic Lutheru, estne tibi infernus, damnatorum sedes merecum somnum & figmentum humanum? Ita profecto sentis, & quidem apertius, quam necesse sit. Quâ de causa? quia Petrus & Paulus clare affirmant, Demones versari in aere. (Sed Gretserus ita profecto calumniatur, & quidem apertius, quam ut negari possit. Locum inferni in centro terra præcisè statuendum esse, negavit, non autem infernum ipsum negavit.)



4. Pistorius in Hodeget. cap. 12. p. 497. 536. Luther otribuit, quod negat animae immortalitatem, quod statuat, animas in spirituale quoddam sepulchrum recondi, quod afferat, animas absq; omni sensu & intellectu mortuas manere usque ad diem novissimum, quod nondum sit infernus, nec Diabolus in inferno &c. Idem εγκλημα, de anima mortalitate Luther intentant Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 1. art. 2. pag. 16. & Pazmannus lib. 3. Hodigi, idq; probare conantur ex assertione arr. 22. à Leone Pontif. damnati tom. 2. Jen. Lat. f. 307. Resp. 1. Luther. vel centies in suis scriptis docet & inculcat, anima esse immortalem. 2. Gretser. & alii Jesuitæ Luther tribuunt errorem de Χριστῳ Ιχνᾳ. Ergo non negavit animæ immortalitatem. Aliud enim est dormire, aliud non existere. 3. Quæ in assertione articuli 21. habentur, non eo fine scripsit, ac si articulos illos improbareret, & in Romano sterquilino demum natos arbitraretur, quam Lutheri mentem fuisse Pazmannus nugatur, sed taxat Lutherus audaciam Pontificis, quod hos articulos, tanquam à se conditos proponere ausit, ejusdem autoritatis cum illis, quos ibi addit, nimirūm panem & vinum in eucharistia transubstantiari, Papam esse Imperatorem mundi & Regem cœli & Drum terrenum, & plura hujusmodi portenta in sterquilino Decretorum, quæ nullum in verbo Dei habent fundamentum, sed papali autoritate credenda Ecclesiæ proponuntur. 4. Hanc esse Lutheri mentem, manifeste constat ex Germanica eorundem articulorum per Bullam Pontif. damnatorum assertione, quæ habentur tom 7. Witteb. fol. 127. Ex quâ manifestum, quod irrideat Romanum Pontificem, qui novos fidei articulos in suis Conciliis promittat, & cum ad rem ventum, proferat vel eos, qui jam autem in Scripturis & Symbolo Apostolico satis firmati, qualis est de immortalitate anime, quam non ita pridem Concilium Lateranense ubi Leo. et X. definierat, vel eos qui ex Scholis Philosopherum periti & ad salutis doctrinam nihil quidquam pertinent, qualis est de essentiali forma corporis, vel etiam falsos Antichristianos & iniarios, quales sunt de purgatorio, de transubstantione, de sacrificio Missæ, de potestate Papæ, de ciborum delectu &c.

5. De Johanne Huso sic scribit Fevardentius lib. 12 Theomachizæ cap. 38. num. 1. Ego probabo, illum fidem purgatoriis non tan-



tantum tenuisse, verum & Missas frequenter pro defunctis celebrasse. Contra Clingius lib. 4. locorum communionem capite 49. pag. 453. refert Husum inter eos, qui negarunt purgatorium. & orationes pro defunctis.

6. Jodocus Coccius tom. 2. Thesauri lib. 1. art. 2. pag. 16. inter eos qui negant animæ immortalitatem, refert etiam Brentium. Idem repetit libr. 10. artic. 9 pag. 1155. Atqui D. Brentius hos Epicuræos sermones & vitam quorundam Epicuræam gravissimè taxat. Nec in Papatu, credo, desunt ejusmodi Epicuræi, quibus ex ipsis Pontificibus quedam favisser, alibi demonstratum fuit.

7. Idem tom. 2. lib. 10. art. 7. inter errores numerat, quod Brentius in Lucam scribit. Cælum omnia comprehendit, & in hoc cælo etiam sunt inferi cum Satana & Angelis ejus. Ubi Satan, ibi inferi sunt. Caro Christi est cælum; inferi, Angeli, Demones ubique sunt absque locorum spaciis. Resp. Contra calumnias illas Brentius publico scripto sese purgavit. Quoniam cælum Dei nihil aliud significat, quam potens imperium vel manifestationem gloriae & majestatis divinae, inde Brentius quadruplex cælum vel regnum Dei constituit. 1. potentia, quod est universalis mundi gubernatio, per quam Dei potentia manifestatur. 2. gratia, notans collectionem fidelium in hoc mundo & gubernationem Ecclesiæ militantis, cui speciali suâ gratiâ adiicit. 3. gloria, significans gloriosam Dei presentiam apud electos; & 4. ira vel justitia, quo nihil aliud intelligit, quam iratam & vindicatricem ejus presentiam in inferno apud damnatos Spiritus & homines.

### III. Opiniones absurdæ & ertoneæ.

E. Bellarm. lib. 1. de Purgator. c. 1. Tertia ratio (pro purgatorio afferendo) sumitur à communi opinione omnium gentium. Id enim constentur Hebrei, Mahometani, gentiles, iisque tam Philosophi quam Poetae. (Atqui absurdum est, articulos fideli ex occocatis Iudeis, blasphemis Mahometanis & idololatriis gentilibus probare. Inde Gretserus in Disp. de recept animarum thesi 32. negat, hoc argumento Catholicorum quenquam usum. Resp. Contrarium patet ex adductis Bellarmini verbis, qui fundamentū aliquod & argumentū pro purgatorio petit ex communi opinione gentium.)



2. Bellarm.lib.2.de Purgat.c.8.Peltanus c.5.de Purgat.pag. 223.tradunt, animas ex omnibus receptaculis, preterquam ex limbo puerorum egredi posse & egressas esse. Contrà Maldonatus tom. 2. de Sacramentis pag. 173. Non arbitror, esse credibile, ex caelo & ex inferno ullam animas redire.

3. Lombardus 4.sent.dist.65.lit.D. Potest dici, illa plura subsidia contulisse diviti celeriorem absolutionem, non pleniorum. Cui conformiter Albertus Magnus de officio Missæ tract.3, cap. 16. cuius verba supra adducta.

4. Raynerius in Pantheologia tom.1. pag. 175. Quando quis pie & humiliter ex desiderii adimplectione, non cum presumtione, nec cum dubitatione petit ab aliquo, ut post ejus mortem sibi appareat, non peccat. Cujus ratio est, quia cum omnes homines Naturâ scire desiderent, requirere adimplectionem desiderii naturalis, non est peccatum. (Hac ratione liceret etiâ petere, ut Deus revelet diem & horam judicij, numerum salvandorū &c. Rectius nos instruit Apostol. 1.Joh.5,14. Quando petimus secundum voluntatem Dei, audit nos )

5. Dictum El.8,9. Fevardentius lib. 11. Theomach. cap.8. num.4. corruptit, hoc modo legens: Nunquid populus à Deo suo requiret visionem pro vivis & mortuis? ut hinc colligat, processus olim pro vivis & mortuis conceptas esse.

6. Mos gestandarum facularum in processionibus exequiæbus, in Papatu receptus, ab Ethnici originem traxit. Vid. Polydorus Vergilius lib. 6. de rer. inventoribus cap.10. pag. 123.

7. Animam Trajani Imper. Ethnici presibus Gregorii I. ex inferno fuisse liberatam, asserit Damascenus in sermone de defunctis. Pontificii de hac Historia differentes, mirè invicem variant, ut patet ex illis, quæ occurunt apud Gregorium de Valentia tom. 4. Disp. 11. q. 1. punct. 2. Bellarminum lib. 2. de Purgat. cap. 8. Salmeronem 1. Cor. 15. Disput. 26. & 27. Azorum tom. 1. Moralium lib. 9. cap. 31. Melchiorem Canum lib. 11.


Locor. cap. 2. Dominicum à Soto in 4. sent. dist. 45. n. 2.

Alphonsum Ciaconum in Apologia pro hac Historia &c.

1771.







23

# EPITOME CONFESSiONiS CATHOLiCÆ,

*in qua ea,*  
*Quæ in Tomis Confessionis Catholice*

**JOHANN E GERHARDOb.m.**

überiùs sunt exposita, in Compendium redacta

*operâ ac studiō*

**JOHANNiS ERNESTI GER.**

HARDI, SS. Theol. D. & Prof. Publ.

*Eadem Preside*

mm

x-rite

colorchecker CLASSIC

